


Retórica

INSTITUTIO

AD

ELOQUENTIAM.



Venalis est in albis . . . . . . 26 Cr. C. M.
in charta densata cum dorso corio vestito 32 Cr. C. M.

VINDOBONAE,
IN LIBRARIA C. R. AD St. ANNAE
IN PLATEA JOANNIS.

1836.





PROLEGOMENA.



Eloquentia est facultas de re qualibet perspicue, suaviter graviterque dicendi vel scribendi: et qui ita dicere noverit, *eloquens* dicitur.

Nota. **Eloquens igitur non orator solum aut historicus est, sed et poëta; hinc eloquentia soluta et ligata, oratoria et poëtica.**

Nonnullis facultas haec natura inest, unde eloquentia *naturalis*; plerique eam praeceptis, et doctrina sibi comparant, quae deinde eloquentia *artificialis* dicitur.

Orta sunt autem haec praecepta ex observato discrimine bene vel male, adposite vel inepte dicentium; et, cur illi placerent, hi displicerent. Hae observationes collectae praecepta eloquentiae constituunt.

Eloquentia naturalis praeceptis regitur, firmatur, et perficitur.

Multiplex est eloquentiae *usus* in vita; qui vero a rudi plebe discerni cupiunt, iis et necessitas illius comparandae incumbit. Maxima enim est illius in animos hominum vis; illius ope non solum cogitata, sensus, studia et consilia nostra graviter declaramus, sed eadem et in aliis vividissime excitamus, eosque, quo libet, flectimus.

In *oratione* tria probe secernenda sunt, quam vis arctissime copulata. *Cogitatus*, quos *Logica* docet: *verba singula* eorumque nexus, de quibus *Grammatica* agit; *tota* denique *eloquutionis conformatio rebus consilioque dicentis aut scribentis adtemperata*, quam *stylum* dicimus, id quod proprium est eloquentiae, ejusque praeceptis regitur.



Complectitur itaque institutio ad eloquentiam ea praecepta, quae orationem universe, sive poëticam, sive prosaicam spectant; tum, quae ad singula utriusque genera pertinent.

Agendum igitur primum de stylo universe ejusque dotibus; tum de stylo poëtico ejusque a prosaico differentia: denique de aliis quibusdam styli divisionibus, ejusque parandi subsidiis; postremo de praeceptis specialibus, quae singulis, tam prosaicis quam poëticis scriptionum generibus conveniunt.

Genera autem scriptionis prosaicae sunt: Narratio, Epistola et Oratio proprie sic dicta.

Poëticarum scriptionum aliae sunt *epicae*, aliae *dramaticae*. *Epicae* sunt: Narratio poëtica, Fabula Aesopica, Idyllion seu Ecloga, Epigramma, Satyra, Epistola poëtica, Poëma didacticum, Elegia, Poësis lyrica, Epopoeia. *Dramaticae:* Comoedia, Tragoedia, Drama musicum.

PARS I.

CAPUT I.

De stylo in genere.

Stylus, quoad nomen, est instrumentum scribendi, quo veteres utebantur ad literas tabulis ceratis insculpendas. Hoc nomen translatum est ad ipsam scribendi rationem.

Est ergo stylus, quoad rem, certa orationis conformatio, tum ad mentem scribentis, tum ad res scriptas adtemperata.

Dotes styli sunt tres: perspicuitas, suavitas et gravitas.

§. I. *De styli perspicuitate.*

Perspicuitas consistit in eo, quum quis loquitur, aut scribit, ut res, quam tractat, facile intelligatur ab iis, pro quibus dicit, vel scribit; ad quod quatuor requiruntur.

Primo: ut res intelligatur, hoc est, ut lector vel auditor idem cogitet, quod ille, qui loquebatur aut scribebat, cogitabat.

Secundo: ut res *plane* intelligatur, hoc est, ut lector vel auditor non tantum videat, rem esse veram, sed etiam, cur vera sit.

Tertio: ut res *facile* intelligatur.

Quarto: ut res *ab omnibus* intelligatur, *pro quibus scribitur:* e. g. in libris mathematicis intelligi debet scriptor ab omnibus mathematicis.

Fontes perspicuitatis sunt:

1) bonum ingenium, quod in vivida imaginatione et judicio defaecato consistit,

2) doctrina solida, et profunda illius rei cognitio, de qua auctor tractare vult,

3) peritia linguae adcurata, qua in scribendo uti volumus. Tandem

4) prudentia, quae docet, quid deceat, et quid non deceat.

Fontes perspicuitatis propiores pertinent vel *ad res* seu notiones ipsas, vel *ad verba.*

I. Fontes perspicuitatis, *quoad res*, consistunt in additionibus novarum notionum, per quas res ipsae certiores, et hinc magis perspicuae reddantur. Oportet igitur addere *causas, exempla, testimonia* cet.

A. *De adjectione causarum.*

Praecipue oportet *addere causas* seu argumenta, hoc est, enuntiationes, quarum veritate nititur veritas enuntiationis alius.

In additione causarum quatuor sunt observanda.

Primo: causa debet esse *firma*, hoc est, talis, ut propter ipsam res, de qua agitur (*Thesis* vulgo dicitur), vera, hoc est, amanda vel aversanda cet. intelligatur.

Secundo: causae, si fieri quidem potest, debent esse *multae*, graves tamen et firmae. Si plures causae graves

non suppetant, praestat, paucioribus vel etiam una firma causa nos esse contentos, quam pluribus causis infirmis rem ipsam debilitare.

Tertio: causae debent *recte tractari*, hoc est ita, ut manifeste adpareat; quomodo thesis propter has causas certa sit.

Ad quod sequentia requiruntur:

a) causa, si opus est, debet explicari, explicatio tamen ipsa brevis sit;

b) debet ostendi causam esse firmam, adjiciendo aliam causam; et haec addita causâ itidem, si opus est, explicari et illustrari debet.

c) Causa debet conjungi cum thesi ipsa, hoc est, debet doceri, quomodo ex hac causa sequatur, thesim esse veram.

Quarto: causae saepius quidem, praecipue tamen in fine, repeti debent, ne lector vel auditor eas obliviscatur. Haec causarum repetitio dicitur a latinis *Recapitulatio*, vel nomine graeco *Anacephalaeosis*.

Exemplum causarum recte tractandarum. *Mors non nimis est pertimescenda*, est thesis. Adduntur causae: *Primo* quia est via ad felicitatem aeternam. Probatur: quia hoc docent sacrae literae. Illustratur, et probatur, quum aliquot loca sacrarum literarum laudantur. Licetne vero sacris literis credere? licet, vera enim semper loquuntur. Cur vera loquuntur? quia Deo inspirante, qui mentiri nescit, scriptae sunt. *Secundo:* quia mors omnibus instat. Deinde hae causae conjungi debent cum thesi, hoc est, debet doceri, quomodo ex hac causa sequatur, thesim esse veram, quod fit per conclusionem; e. g. Thesis. *Mors non est nimis pertimescenda.* Cur? *quia omnibus instat: quia id docemur experientia et corporis structura.* Hinc concludimus: *Si mors omnibus instat, cur eam nimis pertimescamus?* Quomodo hoc sequitur? *Quis enim sapiens id, quod fugere nullo modo potest, magnopere fugere conetur atque timeat?* Addatur secunda causa: *quia est via ad felicitatem aeternam, quis igitur eam magnopere timeat?* Quomodo hoc sequitur?

Quis enim timeat viam, quae eum ad meliorem locum ducit? Amplificandi et illustrandi causa poterit adferri exemplum aliquod, e. g. Socratis. Tum concludimus: *Si alii potuerunt mortem contemnere, cur nos eam timeamus?* Quomodo hoc inde sequitur? *nam quod alii potuerunt, etiam nos posse debemus, modo velimus.*

B. De adjectione exemplorum.

Adjectio *exemplorum* perspicuitatem valde adjuvat, quia exempla docent, rem esse veram, et jam esse factam.

Est vero *exemplum* factum aliquod thesi explicandae adcommodatum.

In adjectione exemplorum tria observanda sunt:

Primo: Exempla debent thesi adcurate convenire; ergo, si de contemtu mortis loquamur, exempli loco poterit laudari Socrates, non vero Cicero, qui mortem verbis quidem contemsit, re autem valde timuit.

Secundo: Exempla debent esse certa et vera.

Tertio: Exempla debent recte tractari, ut eorum vis adpareat. Hinc explicari debet e. g. quo consilio hoc factum sit, cet. Nonnunquam confirmari debent causis: e. g. si in sermone de contemtu divitiarum Socratis exemplo utamur, addi potest; *sciebat enim, veras divitias in sapientia positas esse.*

Conjungi etiam debent exempla cum thesi: e. g. *Si Socrates, veri Dei ignarus, mortem contemnere potuit, quanto magis nos, qui Christi doctrinam profitemur, decet mortem non nimis pertimescere.*

C. De adjectione testimoniorum.

Testimonium est dictum grave ad thesim propositam confirmandam.

Testimonia in rebus historicis plurimum valent, siquidem proficiscantur ab hominibus fide dignis. Etiam aliis in rebus plurimum prosunt, si a magnis viris petuntur; quia testimoniis magnorum virorum plurimum tribuere so-

lemus. Quoniam vero homines, etiam maximi, errare possunt; testimoniis non temere fidendum est; sed auctoritas tantum valet, quantum ratio in auctoritate contenta. Excipiuntur testimonia e sacra scriptura petita, quae semper sunt certissima.

D. De Adjunctis.

Sunt et alia, quae adjecta perspicuitatem adjuvant, et quidem:

a) Adjectio conditionis: e. g. Pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis, eumque, *quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit,* juveris. *Cic. ad Div. XIII. ep.* 23.

b) Adjectio modi, quo res facta est. e. g. Quum essem in itinere, *accidit*, ut hominem reperirem, pro, reperi.

c) Adjectio instrumenti, per quod aliquid efficitur, e. g. Pompejus *multis rebus praeclare gestis* effecit, ut nomen Magni consequeretur.

d) Adjectio notionis temporis, quo aliquid factum est. e. g. Beneficium tuum *nunquam* obliviscar, pro non. Sic Cicero: *Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus,* quum ille (Verres) imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu praecipitem in forum dejiciant, nudumque constituant. *Liber IV. in Verr. XL.*

e) Adjectio notionis loci, quo res gesta est. v. c. Mithridates *uno die in tota Asia, tot in civitatibus,* uno nuntio cives Romanos necandos denotavit. *Cic. pro leg. Man. III.*

f) Adjectio effectus seu consequentiae. v. c. Hujus orationis difficilius est exitum, quam principium invenire. *Itaque mihi non tam copia, quam modus in dicendo quaerendus est. Cic. pro leg. Man.* I.

g) *Periphrasis*, quae id, quod paucioribus verbis dici poterat, pluribus effert, idque perspicuitatis gratia ad rem magis explicandam v. c. Nefarium est, iis *vitam eripere, qui eam nobis dederunt*, pro parentes occidere. Item, quis eum non amet, *a quo creatus est, et innumeris quotidie beneficiis adficitur*, pro, Deum quis non amet?

II. Res, perspicue cogitata, iis etiam *verbis* efferenda est, quae ab omnibus linguae peritis facile intelligantur. Quod fit:

1) adhibendo vocabula nota. Nota autem sunt, quae in scriptoribus probatis *saepius* occurrunt;

2) sensu noto, h. e. usitatissimo apud eosdem scriptores;

3) eligendo ea, quae notionem adcurate exprimant, nec plus nec minus dicant, quam dicere velis. Qua in re juverit synonymorum discrimina probe tenere. Sic, *ira inflammatus* plus est, quam *iratus*; *opinio* minus, quam *sententia*.

4) ordine verborum dilucido. Hic autem oritur universe, a) si vocabula naturali cogitandi ordine se excipiunt; b) praeponendo vocabulum, ad cujus notionem praecipue attendi volumus.

Vitia perspicuitati opposita, ex quibus, quid vitandum sit, praecipue adparet, sunt: *obscuritas, ambiguitas et perplexitas.*

Obscuritas oritur a) ex verbis, quae cogitatum non penitus exprimunt, v. c. si *iracundum*, iratum, *ebriosum*, ebrium dicas. b) Ex verbis perperam collocatis, quo v. c. propria eorum vis et junctura dubia fiat. c) Si vocabula homonyma (quae plures significatus habent) jam hoc, jam illo significatu sumuntur in eadem periodo. d) Ex usu vocabulorum ignotorum aut technicorum, quin explicata sint. e) Ex adfectatione nimia brevitatis, ut Horatius ait: *brevis esse laboro, obscurus fio. Ad Pison. vv.* 25. 26.

Ambigua est oratio, si plures sensus admittat. Id vel *in singulis verbis*, vel *in nexu plurium* accidere potest. *In verbis singulis* praecipue tum, si verba homonyma eo loco adhibentur, ubi nec ordo, nec verborum contextus sensum indubie definiunt: v. c. *Consilium* patris *mihi valde placuit.*

Ipsa *verborum compages* ambigua fit, quum verba singula aut etiam membra varie construi, et cum uno alterove

membro jungi possunt, v. c. Hominem *egregium* ob factum laudant, est ambigue dictum, quia *egregius* et ad *hominem* et ad *factum* referri potest. Qui studia literarum diu sequutus est, *quia suavia sunt*, non facile ea relinquet. Verba: *quia suavia sunt*, tam ad prius, quam posterius membrum trahi possunt, ac proinde ambiguitatem pariunt.

Perplexitas orationis oritur a) e perturbato cogitandi ordine; b) ex ornatu orationis anxie quaesito; c) ex incogitantia scribentis vel dicentis.

§. II. *De styli suavitate.*

Altera styli dos est *suavitas*, quae efficit, ut placeamus lectoribus et auditoribus, atque ita ab iis libenter legamur et audiamur. Oritur ea partim

1) ex ipsa *perspicuitate dicendi*, quae per se suavis est, ut omnis obscuritas molesta.

2) *variatione sententiarum et verborum.* Omnis variatio delectat. Copia verborum hic ad manus esse debet, de qua in Grammatica tractatum.

3) *vitando vocabula plebeja*: quo in primis pertinent sumta a rebus abjectis vel taedium adferentibus.

4) *vitandis vocabulis obscoenis.* Hinc Cicero: *Nolo stercus curiae dici Glauciam. Orat. III.* 41.

5) *vitando vocabula, quae ingratam rem proprie exprimunt, eaque commutando cum suavioribus. v. c. Vivere desiit*, *ad Deum abiit*, cet. pro, mortuus est.

6) *ex acute dictis.* Sunt autem acute dicta breves sententiae, quas qui audit, non statim intelligit; sed inexspectatum quid audit, quod tamen rei conveniens et verum esse, deinde videt. Plura sunt acute dictorum genera:

a) quando *specie repugnantia* proferimus v. c, *Fabius Cunctator novam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare.* Flor. *II.*6.§.27. *nubere uxori.* Mart. *VIII.* 11.

b) *Ambiguitas sententiae, seu ideae* ob vocabulum homonymum; v. c. quando Cicero de Octaviano dixit ornandum esse et *tollendum*; ubi *tollere* potest esse tum ad *ho-*

nores evehere, tum *interficere*. *Sueton*. *Aug*. *c*. 12. Item illud e Suetonio:

Quis neget Aeneae magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, *sustulit* ille patrem. *Nero* 39.

c) Quando ad alterius verborum ambiguum respondemus alio sensu, quam quo ipse illud protulit. v. c. Quum post pugnam Pharsalicam esset, qui diceret, animum non despondendum esse, quia septem aquilae restarent, Cicero respondit: *Recte hortareris, si cum graculis nobis bellum esset.*

d) *Injecta brevis similitudo*, vulgo *allusio* dicta v. c. Furius Albinus post pugnam Mutinensem interrogatus, quid ageret Antonius? respondit: *quod canis in Aegypto, bibit et fugit.* Item illud Flori: *Capuam Hannibali Cannas fuisse.* II. 6.

At acute dicta non debent esse nimis crebra, neque nimis obscura, atque, si sola ambiguitate vocabulorum cernantur: non nimis magni aestimanda sunt.

7) *E descriptionibus.* Descriptio universe est, quum rei, personae aut facti proprietates, partes, adjuncta, oratione tam clara et vivida exponuntur, ut res ipsa, persona aut factum quasi ante oculos repraesentari videatur.

Descriptio rei vel personae, id est eorum, quae tota simul exsistunt, proprie *pictura* dicitur; v. c. horti, regionis cet.

Ad picturam requiritur, ut res proposita adcurate, et saepe secundum minimas partes exponatur oratione quam maxime vivida.

Praecipua picturarum dos est *brevitas*, quae obtinetur, si uno alterove adjuncto imaginem quasi viventem sistat. Id fit adhibendo verba et expressiones, quae plures notiones excitent, quam proprie iis continentur: ad quod servient epitheta apte delecta, vocabula tropica, figurae, cet. Portus Veneris. Virg. Aen. III. v. 533. *seqq.*

Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum;
Objectae salsa spumant adspergine cautes:
Ipse latet. Gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque ab litore templum.

—— Nicodemus stand auf, und wagt es zu reden.
Hochgebildet, ein Mann von menschenfreundlichem Ansehn,
Stand er. Wehmuth und Ernst erfüllte des Denkenden Antlitz.
Und die Ruh des empfindenden, unbefleckten Gewissens
Sprach sein ganzes Gesicht. Sein treuer Zeuge, das Auge,
Weint' und verbarg nicht die Thränen. Er glaubt', er spräche vor Menschen.

Klopstock IV. Ges. V. 233. ff.

Expositio vivida rei, quae non tota simul sed paullatim existit, et spectandam se praebet, *descriptio* proprie dicitur: v. c. descriptio proelii et facti cujuscunque. Descriptio certaminis curulis Virg. Georg. III. v. 103. seqq.

Nonne vides? quom praecipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Quom spes arrectae juvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora; volat vi fervidus axis.
Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque adsurgere in auras.
Nec mora, nec requies. At fulvae nimbus arenae
Tollitur; humescunt spumis flatuque sequentum.

Nota. Descriptio unius ejusdemque rei pro diverso scribentis consilio diversam quoque formam induere debet. Hinc alia est descriptio, quae ad docendum, alia, quae ad movendum aut delectandum destinata est. Inde diversitas inter descriptiones historicas, poëticas et oratorias. Exempla in Chrestomathia.

Oritur denique suavitas orationis 8) ex usu troporum, 9) periodorum 10) e numero; de quibus infra.

§. III. *De styli gravitate.*

Gravitas dicendi consistit in motu animorum, animi autem moveri non possunt, nisi rem esse magnam intelligamus.

Est igitur *gravitas orationis* ea virtus, quae res graves ita tractat, ut earum gravitas adpareat, seu est perspicuitas rerum gravium.

Perspicuitas sola ad mentem, gravitas ad mentem et animum pertinet.

Hinc sequitur, gravitatem proprie non verbis, sed rebus inesse, stylumque gravem et sublimem in notionibus

is versari, et de rebus tenuibus graviter dici non pos-, nisi frigide loqui velimus,

Cardo igitur rei in hoc vertitur, ut ostendamus,

I. rem, qua alios movere volumus, esse *vere magnam gravem.* Magnitudo autem rei adparet:

1) Ex causis ejus magnis: quo majores causae, eo ma-r est res. e. g. Contemtus divitiarum est res magna, quia l eum requiritur sapientia seu scientia pretii rerum vere stimandi.

2) Ex effectis ejus magnis: quo majora et diuturniora fecta, eo major est res, e. g. De civitate bene mereri ajus est, quam de uno.

3) Ex modo, quo res agitur aut acta est. Major est , c. res cum difficultate conjuncta, et tamen feliciter eracta, quam sine ea.

4) E consilio magno: e. g. dum quis nulla praemiorum pe, sed virtutis studio ductus, aliis benefacit.

5) Ex instrumento agendi, h. e. rebus, quarum ope es fit: v. c. major est victoria ejus, qui exigua manu nagnas hostium copias fudit.

6) Ex celeritate et opportunitate agendi. Sic Cicero le Pompejo: Tantum bellum—Pompejus extrema hieme adparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit, *pro lege Man.* XII. Sic beneficium in *tempore datum* est majus, quam aliud.

7) E ratione loci, e. g. Proelium, loco non opportuno feliciter gestum, est majus alio.

8) E personarum conditione, dignitate, relatione erga nos. cet. v. c. Donum a rege vel a sapiente profectum; item laus regis vel hominis prudentis ac clarissimi, item inimici cet. pluris est, quam laus vel beneficium alius hominis.

II. *Circumscriptiones* etiam, in quibus argumentum inclusum latet, magnitudinem rei exponunt. v. c. Cicero pro verbis: *monstrum est, quemquam posse occidere parentes suos,* dicit: *Portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie, qui tantum immanitate bestias vice-*

rit, ut, propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit. Pro Roscio Am. XXII.

III. *Sententia acuta et gravis.* Est vero sententia enuntiatio generalis e vita sumta. Est *acuta*, si inest sensus reconditus; *gravis*, si inest argumentum: et argumenta tecta magnam vim habent. v. c. quando de Socrate dixi, *eum non fuisse adpetentem divitiarum*, et addo: *Sapientia enim (temperantia) paucis contenta est*, inclusum latet argumentum: fuit enim temperans.

De sententiis notanda sunt haec: 1) debent esse verae, vel saltem verisimiles ac plerumque verae. v. c. *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Pertinent huc proverbia.

2) non nimis longae sint;

3) neque nimis crebrae; quia omnis sententia continet praeceptum, quae, si crebriora sint, delectationem impediunt.

Hinc saepe praestat sententiam aliquam universalem revocare ad casum specialem, uti Laocoon apud Virgilium hanc sententiam: *hostium etiam dona timenda sunt*, ad se ipsum revocat: *timeo Danaos et dona ferentes*; *Aen. II. v.* 49. vel etiam sententias aliorum nomine proferre. v. c. Socrates non fuit adpetens divitiarum, quia sciebat, *naturam paucis esse contentam.*

IV. Rectus figurarum usus, de quibus infra.

Gravitas adjuvatur etiam justo usu vocabulorum, si 1) *languidiora mutantur in fortiora.* Fortiora autem sunt, quae aut vim majorem per se continent, aut in quibus simul inclusa latet idea secundaria, gravitatem augens.

a) vim majorem per se continent: v. c. *stertere* pro dormire; *volare* pro celeriter ire. *nullus* pro nullius pretii; *nundinae* agrorum, oppidorum, pro venditio etc. sic Cicero: *Personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino*, pro audiebantur voces — madebant pavimenta. *III. Philipp. IV.*

b) Inclusa simul latet idea secundaria vel *effectus s. consequentiae*, v. c. in his: *miserum me reddidit*, pro valde

ihi nocuit; *perii*, pro miser sum; *ridebis*, pro felix eris
t. vel *causae*: ut in illo Ciceronis: Vis tribunitia nonnquam *libidini* restitit consulari. *II. Agrar. in Rullum VI.*
ic *libidini* pro *voluntati* dictum est; at inest simul cau-, cur huic voluntati restiterint, quia scilicet haec vontas fuerit mera libido: vel *firmitatis*: v. c. *stat sen-ntia* pro est; vel *certitudinis* v. c. *repertus est sapiens* pro it: vel *rei terribilis*, *atrocis* cet. Sic: *Jacet ille* (Catilina) *nc, et se perculsum atque abjectum esse sentit, et retorquet ulos profecto saepe ad hanc urbem, quam e suis faucibus eptam esse luget. Cic. II. Catil. I.* Hic *retorquet* oculos, o *respicit*: et simul respicitur ad bestiam, cui praeda epta est. Et sic de aliis,

2) Adjicitur vocabulum ad vocabulum: h. e. idea ad am, ut hujus gravitas adjuvetur. E pluribus aliquot ecies:

a) Adjicitur idea effectus seu consequentiae: v. c. capn *tenere* pro cepisse, cet. Sic Juno Virg. Aen. VII. vv. 297, 8. Mea numina tandem fessa *jacent*, odiis aut exsaata *quievi*; pro fessa, exsaturata sum.

b) Additur notio argumenti, seu vocabulum argumenn continens: v. c. pro Deum odisse quis potest? dici-: Deum, *tam benignum*, quis odisse potest? Ignovi ejus *olescentiae*, pro ei, quia est adolescens.

c) Additur idea modi, vel necessitatis, casus, consilii, . v. c. *necesse est*, vel *non possum facere*, quin te reprendam — *accidit*, *contigit*, ut amicum offenderem: pro endi. Faciendum *putavi*, pro feci. Sic Cicero *Act. I. in rr. XVI.* Nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi no est, qui aut *possit*, *aut conetur corrumpere*, pro *qui rumpat.*

3) una enuntiatio mutatur in plures: diutius enim imrando in iisdem ideis, fient hae graviores. Fit hoc ribus modis a) quando pluribus subjectis, commune edicatum habentibus, singulis praedicatum tribuimus. cero pro Archia VIII.: *Homerum Colophonii civem esse*

dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, cet. pro *Colophonii, Chii, Salaminii* cet. *dicunt Homerum esse* suum.

b) praeponendo causam vel addendo effectum. v. c. Deus efficere potest omnia; praeponendo causam, dices: Deus est *tam potens*, ut omnia possit efficere.

c) conjungendo enuntiationem negantem et adfirmantem. v. c. *Non est jam lenitati locus; severitatem res ipsa postulat. Cic. II. Catil. IV.*

4) Collocatio verborum gravis: h. e. si eo ordine ponuntur, quo majorem vim exserere possunt. Verbum itaque gravius interdum praeponitur, interdum postponitur;

a) praeponitur, ut citius a lectore et auditore sentiatur. v. c. *Grave* mihi vulnus inflixit mors patris. *Mirum* me desiderium tenet urbis, *incredibile* meorum atque in primis tui. *Cic. ad* Div. *II. ep.* 11.

b) interdum gravius vocabulum postponitur, in primis ad exspectationem opprimendam: hic decet per gradus adscendere. v, c. *Abiit, excessit, evasit, erupit. Cic. II. Catil. I. Agunt eum(*Verrem*) praecipitem poenae civium, quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes jura libertatis et civitatis in crucem sustulit. Id. Lib. I. in Verr. III.* Grave est percutere securi civem, gravius in vinculis necare, gravissimum in crucem tollere.

CAPUT II.

De Tropis.

Rectus Troporum usus suavitatem non mediocrem, ut supra dictum est, orationi conciliat.

Est vero *Tropus* translatio vocabuli a propria significatione in alienam, cum virtute instituta, hoc est: translatio suavitatem orationis aut etiam gravitatem, salva tamen perspicuitate, adjuvare debet.

Haec translatio quatuor potissimum modis fit; hinc iatuor sunt genera troporum.

Quum idea una pro alia ponitur, inter utramque vel *nilitudo* intercedere debet, vel *conjunctio*, eaque aut *inrna* aut *externa*; vel denique vocabula externa specie *fferentia* eandem ideam declarant.

Primo. Si intercedit *similitudo*, v. c. quum dicitur *fons* o *causa*, quia e causa effectus proveniunt, uti aqua ex nte; haec commutatio dicitur *Metaphora*.

Secundo Quum ponitur vocabulum pro vocabulo alius i, quae tantum *cogitatione nostra cohaerent*, uti effectus causa: haec commutatio dicitur *Metonymia*.

Tertio. Quum vocabula earum rerum, quae *vere cohaent*, inter se commutantur; haec commutatio dicitur *Sycdoche*. e. g. *pater* sepultus est, pro corpus patris.

Quarto. Nonnunquam, salva perspicuitate, commutanr vocabula *contrarium* significantia, sed quae vel gravitem, vel suavitatem augeant; et haec commutatio diur *Ironia*. e. g. Cicero Verrem, expilatorem provinae, vocat *bonum custodem et defensorem* provinciae. die weisen Anstalten! von schlechten Anstalten.

De Metaphora

Metaphora est translatio idearum s. vocabulorum propter ıtabilem similitudinem, seu metaphora est genus breviquentiae, quo pro idea ipsa ponimus ejus similitudinem tamen, ut idea omissa facile ex contextu intelligatur.

Possit etiam Metaphora dici comparatio omissis partilis comparativis. v. c. *Intemperantia est mater morborum*, c est; quasi mater. Sapere est *fons* bene dicendi, h. e. asi fons. *Amore flagrare*, id est, *quasi flagrare*. e mütterliche Erde. Die Schönheit verblühet.

In Metaphora hae regulae tenendae sunt:

Primo. Similitudo facile debet percipi, hoc est, res bstituta satis nota esse debet. e. g. *Rosae genarum*, pro

rubedine. Et similitudo debet esse constans et perpetua, e. g. *Ver* pro *adolescentia.* Der Lenz des Lebens.

Nota. Si inter res comparatas magna est differentia magnitudinis, similitudo non facile advertitur: hinc ejusmodi Metaphorae vitiosae sunt. e. g. Miles hostem *acu* petiit, pro *gladio.* Sic pro *monte* non possumus dicere *verrucam* terrae, in quo tamen usus loquendi observandus est.

Secundo. Ipsa similitudo debet esse honesta, ne inde oriatur imago obscoena, quae semper injucunda est, quia peccat contra suavitatem et humanitatem. Sic reprehenditur a Quinctiliano illud: *persecuisti reipublicae vomicas,* h. e. sustulisti sceleratos. *Instit. orat. l. VIII. c.6.* 734. Verse speyen.

Tertio. In metaphora oportet nos esse contentos similitudine rei universa, quin eandem extendamus in singulas partes. Ergo *caput montis* pro *cacumine montis* recte; non vero: *nasus montis.*

Quarto. Metaphora debet esse constans; hoc est, in similitudine semel coepta pergendum est in eodem contextu. Hinc, unde subjectum sumitur, inde quoque sumendum est praedicatum, e. g. *Vestigia* pro *signis* non imitamur, sed legimus, vel sequimur.

Nota. Placent praecipue illae metaphorae, quae rebus, vita sensuque carentibus, vitam sensumque tribuunt: v. g Pontem *indignatus* Araxes. *Virg. Aen. VIII. v* 728. Quid enim tuus ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius *agebat?* Cujus latus ille mucro *petebat? Cic. pro Ligario III.* Die lachenden Fluren. Der kühle Hain winkt uns in seine Schatten.

De Metonymia.

Metonymia est tropus, quum commutatur res s. notio rei cum alia ob conjunctionem externam, quae inter utramque intercedit, h. e. talem, ut altera sine altera cogitari non possit.

Haec conjunctio externa locum habet:

Primo: inter causam rei efficientem et rem effectam. Hinc ponitur causa efficiens pro re effecta; uti auctor operis pro opere *suo*, e. g. *Legi Homerum,* pro legi opera Homeri. *Lingua latina* pro sermone latino. *Bacchus*

ro vino. *Ceres* pro frugibus, *Musae* pro scientiis. *Venus* pro amore. — Er weinte bis zur Morgensonne : d. i. is zum Tage. Eodem modo res effecta solet poni pro ausa efficiente. e. g. *Pallor* pro timore; *tristis senectus, pallida mors.* Schatten pflanzen, statt, schattende Bäume.

Secundo. Connexio externa intercedit inter antecodens consequens. Hinc ponitur vel antecedens pro consequente: e. g. *valedicere* pro abire; sich beurlauben, statt ortgehen; vel consequens pro antecedente. e. g. in *proelio cecidit*, pro mortuus est. Er blieb im Treffen.

Tertio. Connexio externa intercedit inter causam materialem et rem ex hac materia effectam. Hinc saepe materia, quum fert usus loquendi, ponitur pro re ex hac materia effecta. e. g. *Aurum et argentum*, pro nummis vel rebus aureis et argenteis. Der tödtende Stahl, für Dolch.

Quarto. Connexio externa intercedit inter locum et a, quae in hoc loco esse solent. e. g. *Totus mundus laetatur*, pro homines totius mundi laetantur. *Roma victrix*, pro Romani victores. Österreich ist stolz auf seinen Herrscher. Huc pertinent etiam rei possessor pro re possessa. e. g. *Jam proximus ardet Ucalegon, Virg. Aen. II. vv.* 310, 311. pro Ucalegontis domus; vel: *amici eum devorarunt*, pro ejus bona.

Quinto. Connexio externa intercedit inter praesidem et eum, cui praesidet. e. g. *Hannibal ad portas*, pro Hannibalis exercitus; vel: *Anglia bellum gerit, bellum indixit Galliae*, pro bellum indixit regi Galliae rex Angliae.

Sexto. Connexio externa intercedit inter signum rei notabile ac perpetuum, et rem significatam. e. g. *Fasces* pro summo imperio; *laurea* pro victoria, *sagum* pro bello e. g. Ovidius *Metam. VII. v.* 186. — 188. pro *media nox erat* dixit:

— — — — Nullo cum murmure sepes
Immotaeque silent frondes, silet humidus aër,
Sidera sola micant.

Er zog den Ölzweig dem Lorber vor, d. i. den Frieden dem Siege.

De Synecdoche.

Synecdoche est tropus, quo duae notiones inter se, quum fert contextus, permutantur ob conjunctionem aliquam intimam seu essentialem.

Haec conjunctio intima est inter totum et partes, nec non inter genus ejusque species et individua. Hinc

Primo: ponitur nonnunquam totum pro parte. e. g. *Homo* pro corpore: *pater sepultus est*, pro cadaver patris sepultum est. Der Weltbezwinger ruhet hier im Grabe.

Secundo: ponitur pars pro toto, ubi tamen prima ratio habenda est partis, non totius. e. g. *Limen* vel *tectum* ponitur pro domo, quum praecipua ratio habetur liminis vel tecti. e. g. *Tectum subire, limen transire*, minime vero *tectum intrare* vel *limen aedificare*. Ein witziger Kopf d. i. Mensch.

Tertio: ponitur genus pro specie. e. g. *Mortales* pro hominibus. Das Vieh sucht die Schatten, statt, die Schafe.

Quarto: nonnunquam ponitur species pro genere, sed fere in loquutionibus tantum proverbialibus. v. c. *Punica* vel *graeca* fides, i. e. levis: *romano* more loqui, i. e. aperte, proprie loqui. *Cicero ad Div. VII. ep. 5, ep. 16.* Gönnet dem Städter seine Bälle, d. i. Lustbarkeiten.

Quinto: nonnunquam ponitur species pro individuo, salva tamen semper perspicuitate. e. g. *Urbs* pro *Roma*, *poëta* pro *Homero*, *orator* pro *Cicerone*, cet. si e contextu patet, de eo sermonem esse.

Haec tropi species dicitur *Antonomasia propria*.

Sexto: nonnunquam ponitur individuum pro specie e. g. *Homerus* pro eximio poëta epico, uti; Klopstockius Germanorum *Homerus* est; *Cato* pro severo, *Maecenas* pro magno eruditorum patrono, cet.; et haec dicitur *Antonomasia impropria*.

Ad Synecdochen referuntur etiam haec:

1) Numerus singularis pro plurali, et pluralis pro singulari ponitur. Haec commutatio liberior est apud poë-

as, quam oratores. e. g. *Adigit per pectora ferrum.* — *Quamvis multa meis exiret victima septis, Virg. Ecl. I. v. 34.* pro quamvis multae victimae exirent meo septo.

2) Numerus definitus ponitur pro indefinito, at fere solum in loquutionibus proverbialibus. v. c. *Centum, sexcenta, mille,* pro valde multis; sic, *centies* dictum est, pro saepissime.

3. Numerus rotundus pro paulo majore vel minore ponitur. Sic *Centumviri* apud Romanos dicebantur quidam judices, quum essent proprie 105: sic 70 interpretes li bibliorum, pro 72.

De Ironia.

Ironia est commutatio verborum contrariorum, salva tamen perspicuitate.

Ironia tum tantum locum habere potest, quum res est notissima, ne laedatur perspicuitas, cujus gratia ironiae plerumque additur particula quaedam: *scilicet*, *quippe*, *vero* et similes. e. g. In Terentii Andria *Act. I. Sc. 2.* Simo dicit Davo: *meum filium rumor est amare.* Davus per ironiam respondet: *id populus curat scilicet.* Exemplum elegantissimae ironiae est apud Virgilium Aeneidos IV. v. 93, seqq. quum Juno Venerem mordet:

Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus, magnum et memorabile nomen,
Una dolo Divum si femina victa duorum est.

Ironia species est *Sarcasmus* seu irrisio aperta et amara. Sic illud Alexandri Clitum interficientis; *I nunc ad Philippum et Parmenionem! Curt. L. VIII. c. 1.* So die Juden: Wie fein brichst du den Tempel ab!

Quum ironia jocando aut illudendo serviat, rarissime locum habet apud oratores. Magis commendandae sunt ejusdem species, *Litotes et Euphemismus.*

Litotes videtur rem minuere, quum eandem vere auget. e. g. *Crassus non erat pauperrimus*, pro erat ditissimus Er ist nicht mein bester Freund, statt, er hasset mich. Li-

totes tantum in rebus valde notis adhiberi potest, ne perspicuitas laedatur.

Euphemismus est, quum res ingratas nomine suaviori aut leniori exprimimus. Fit hoc fere sequentibus modis:

Primo. Quum ideae tristiores permutantur cum suavioribus. e. g. *Si quid humani ei accidat*, pro si mortuus fuerit. Gott nahm ihn zu sich.

Secundo. Ideae decorum laedentes vel inhumaniores cum honestioribus vel humanioribus permutantur. e. g. *Vinum non odit*, pro, valde potat. Ich danke, statt, ich will es nicht.

De Hyperbole.

Ad tropos refertur etiam *Hyperbole*, quae rem adeo auget, vel minuit, ut omnem fidem superare videatur, quin revera superet. Si enim fidem revera superat, apertum est mendacium, quod delectare non potest. Locum praecipue habet, quum mens affectu incaluit, in quo ejusmodi augmentum minus animadvertitur. Hinc frequentior est Hyperbole apud poëtas, qui rem cum affectu pertractant. Cicero *pro Marc. II.* de Caesaris victoriis: *Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari* (dico), *quam tuis, non dicam cursibus, sed victoriis illustratae sunt.* Virgilius de Camillae levi cursu Aeneid. VII. v. 808. seq.

Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas.

Sic et de Trojanis, mari mediterraneo jactatis: *Ventis maria omnia vecti. Virg. Aen. I. v.* 524.

Sieh! Feinde, deren Last die Hügel fast versinken,
Den Erdkreis beben macht,
Ziehn gegen dich, und drohn mit Qual und ew'ger Nacht;
Das Wasser fehlt, wo ihre Rosse trinken.

Kleist.

In Tropis sequentia sunt observanda:

Primo. Vocabulum, quod substituitur, tam notum esse debet, quam illud, cui substituitur, ne laedatur perspicuitas.

Secundo. Vocabulum, quod substituitur, non sit invenustius illo, cui substituitur, ne laedatur suavitas.

Tertio. Vocabula tropica non sunt cumulanda, ne obscuritatem pariant.

Quarto. Usus loquendi observandus: nam non eadem vocabula tropica in omni lingua usu recepta sunt: v. c. radices montis, der Fuß, non vero die Wurzel des Berges.

CAPUT III.

De Periodis.

Suavitati orationis quam maxime prosunt *Periodi*, partim ob numerum, qui per illas adjuvatur, partim quia lectoris et auditoris animus propter enuntiationem interjectam suspensus tenetur, cupideque exitum enuntiationis inceptae exspectat.

Periodus, vox graeca (περι ὁδος) significat ambitum seu circuitum.

Est vero *periodus,* quando enuntiatio aliqua per unam vel plures interjectas enuntiationes difsecatur.

Enuntiatio ita difsecta, *primaria* dicitur, insertae vero *secundariae* adpellantur.

Interseruntur autem enuntiationes, vel *explicantes,* vel *causales*, vel *conditionales,* vel *concessivae,* vel *temporales,* etc. Sic in hac periodo: *Saepe res, licet sit difficillima, per industriam indefessam fieri potest facillima*; enuntiatio primaria per intersertam secundariam, *licet sit difficillima,* dissecatur, quae ambitum illum efficit. Ex qua definitione palam fit, plures enuntiationes, licet per particulas sint conjunctae, non posse dici periodum, si ambitu careant. v. g. *Quemadmodum concordia res parvae crescunt, ita discordia maximae dilabuntur,* non est periodus, quia enuntiationes nullum habent ambitum.

Enuntiationes secundarias non ubique temere, sed post illud vocabulum, cujus quasi explicationem continent,

inserere oportet, v. c. *Schelleri Lexicon, quia necessarium mihi est, proximis nundinis emam.*

Omnis difficultas est in inveniendis enuntiationibus aptis ad inserendum: in quem finem juvabit enuntitationem principalem, quam dissecare volumus, examinare per circumstantias, secundum notissimum illum versiculum:

Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

Meditandum igitur est, an in enuntiatione principali desit notio causae, conditiones, temporis, loci, cet.

Singulae hae notiones exprimi possunt per enuntiationes, quae deinde suo loco inseruntur e. g. *Deus Noacho pepercit*; cur? *quia Deum colebat*, quando? *dum ceteros homines perire jussisset.* Hinc oritur haec periodus: *Deus, quum ceteros homines perire jussisset, Noacho, quia ipsum colebat, parcendum putavit.* Ad hanc periodum amplificandam plura addi possunt. e. g. quare Deus ceteros homines perire jussit? *quia erant flagitiis dediti*: quomodo eos perire jussit? *aquae vi immissa*; cur autem Deus Noacho pepercit; *benignitatis suae memor.* Hinc oritur haec periodus: *Deus, quum justitiae suae memor, omnes homines, Noachi aetate viventes, quia flagitiis erant contaminatissimi, aquae vi immissa, perire jussisset: Noacho soli, quia ipsum colebat, benignitatis suae memor, modo mirabili parcendum putavit.*

Eadem ratione facile invenitur enuntiatio conditionalis, e. g. pro, industria sine ingenio parum prodest; dicere licet: *industria, si caret ingenio, parum prodest.*

Si etiam invenitur concessiva. e. g. *Industria, licet per se laudanda sit, tamen, si caret ingenio, parum prodest.* Et sic de aliis.

Cautiones de inserendis enuntiationibus.

1) Omnis inserta enuntiatio aptam sententiam habere debet.

2) Enuntiatio inserenda debet esse brevior ea, cui inseritur; vel saltem videndum est, ne verba posteriora

:nuntiationis dissectae nimis pauca sint prae interjecta :nuntiatione.

Periodi dividuntur in *simplices* et *compositas*.

Periodus simplex est enuntatio una (saepe etiam plures er *et* connexae) per interpositam secundariam (unam vel lures) dissecta; at sine consequente. v. c. *Noster exerci-us, etsi urbem ceperat, et proeliis usus erat secundis, ta-ien nimia longinquitate locorum commovebatur. Cic. pro 'ge Man. X.*

Periodus composita constat duabus partibus majori-is, antecedente scilicet seu Protasi, et consequente :u Apodosi.

Protasis est prior periodi compositae pars, constans una eriodo simplici (vel pluribus per *et* connexis) quae, ope articulae alicujus suspensa, enuntiationem consequen-m desiderat.

Apodosis est altera periodi compositae pars sensum prio-; suspensae complens v. c. *Quamquam omnes, qui divi-s leges migrant, poenam Dei exspectare debent*: (Pro-sis), *tamen, si eos peccatorum poenitet, veniam ho-m consequi possunt.* (Apodosis).

Tam protasis quam apodosis e pluribus periodis sim-cibus per *et* connexis constare potest.

Cautiones de usu periodorum.

1) Discrimen inter *periodicum* dicendi genus, et dictio-m *per periodos* tenendum est. *Periodicum dicendi genus,* ıni sermoni latino proprium, consistit in periodis sim-cibus; *dictio vero per periodos*, oratori propria, posita in periodis praecipue compositis, et amplioribus.

2) Periodo ubique uti non licet. Ineptum hoc foret taedium crearet. Variatione opus est. Hinc et *incisa* ı commata, ac *membra* seu cola usurpanda sunt.

Commata autem et *Cola* sunt enuntiationes nulla enun-ione interjecta dissectae. *Commata* breviora sunt, *Cola* giora: qui illa adhibet, *incisim*, qui haec, *membratim* it. v. c. Haec: *Domus tibi deerat? at habebas. Pecu-superabat? at egebas*; ipse Cicero *incisa* vocat; sequen-

tia vero *membra: Incurristi amens in columnas: in alienos insanos insanisti. Cic. Orat. LXVII.*

3) Periodus non debet nimis longa esse; nam fatigat lectorem vel auditorem, taediumque et obscuritatem adfert. Periodi longiores πνευματα vocantur, si uno spiritu pronuntiari possunt; τασεις vero, si uno spiritu pronuntiari nequeunt; quae proinde in dicendo vitandae sunt.

4) In periodo composita enuntiatio consequens vel majorem, vel eandem vel non multo minorem longitudinem habeat, quam antecedens habuerat.

5) Suave est, si, quot enuntiationes protasi, totidem apodosi insertae fuerint. v. c. Si quantum regibus confidere solemus, tantum fiduciae in Deo poneremus: haud dubie, quo magis nos mala premerent, eo minus desperandum putaremus.

CAPUT IV.

De numero oratorio.

Numerus proprie significat *partem* quamlibet totius, in primis demensam et ceteris partibus aequalem.

Numerus igitur *oratorius* est aequalis mensura enuntiationum seu membrorum eorum, quae ad se invicem referuntur, atque ita unum totum constituunt.

Nota. Si adcurate loqui volumus, *numeri* oratorii, non *numerus* dicendum est; una enim pars numerum non efficit.

Triplex est genus numerorum oratorium.

I. Enuntiationes arcte conjunctae, in primis sibi oppositae, debent in certis partibus, h. e. vocabulis, sibi aequales esse, ita, ut totidem vocabula ejusdem generis respondeant praecedentibus:

1) unum vocabulum respondet uni ejusdem generis: v. c. Est haec non *scripta*, sed *nata* lex, ad quam non *docti*, sed *facti*, non *instituti*, sed *imbuti* sumus. *Cic. pro Mil. IV.*

2) bina binis. v. c. Si armis aut *conditione positis*, aut *defatigatione abjectis*, aut *victoria detractis* civitas respiraverit.

ic. ad Div. VI. ep. 2. Item; Quid tam commune, quam *viritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis. Cic.*

3) plura pluribus. v. c. Tantum bellum Pompejus *extrema hieme adparavit, ineunte vere suscepit, media aestate onfecit. Cic. pro lege Man. XII.* Conferte *hanc pacem* cum *lo bello: hujus* (Verris) *Praetoris adventum* cum *illius* Marcelli) *Imperatoris victoria, hujus libidines* cum illius *ontinentia, ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Cic. Lib. IV. Verr. LII.*

II. Posterior pars enuntiationis dissectae vel aequalis : enuntiationi insertae, vel etiam major, vel saltem non mis brevis prae illa: Sic pro, pater, ubi filii mortem didivit, flebat, dicitur numerose: *Pater, ubi filii mortem divit, lacrimas tenere non potuit.*

Idem valet de omni enuntiatione, quae alteram, cum a conjuncta est, sequitur, licet non dissecta sit. Sic o, olim vivebas cum laude, nunc non; numerose dices: *im vivebas cum laude, nunc cum ignominia:*

III. Ultimum vocabulum sententiae, post quam signum tinctionis maximae (punctum) ponitur, debet, si fieri test, paulo longius esse, et in primis penultimam hare longam cum vocali clariore. Tales sunt: *fateatur, nprobavit, prohibuerunt,* cet. quae frequentissime in cerone occurrunt.

Prodesse numeros oratorios suavitati orationis vel ex patet, quod omnis proportio seu demensa aequalitas cet. At

1) aequalitas haec non ubique adfectanda est.

2) Numeri nunquam debent videri quaesiti esse, sed nte venisse.

3) Semper inesse iis debet sententia vera et apta.

Pertinet huc quadam ratione *Euphonia*, quae oritur delectu vocabulorum grati aptique soni, eorumque ivi consequutione. Nam neque illa membrorum aequas, nec periodi vim suam omnem exserent, nisi sonus

vocabulorum singulorum aut junctorum jucundus ad aures accidat.

Euphonia autem certissime obtinetur:

1) vitandis ejus vitiis, quae sunt: a) Hiatus seu vocalium earundem concursus. v. c. *Illa arca. Tibi idem* Tumultu *uno.* b) Asper consonantium concursus. v. c. Spretus crebro spargit crudos rumores. c) Monotonia, quae oritur ex coacervatis monosyllabis, aut crebra nimis ejusdem vel similis syllabae repetitione. v. c. Hac in re me rus non delectat. *Ad Atticum*, quod *at*tinet. Monen*te* et denuntian*te te. Cic.* ad *Div. IV. ep.* 3. O fortu*natam natam* me consule Romam.

2) Quum et vocales et consonantes aliae asperiores sint reliquis, aliae leniores; aliae obscurae, aliae clarae; aliae rauci, aliae suavioris soni: vocabula etiam ex his vel illis eligentur nonnunquam, quae aptiora sunt ad notandas res vel jucundas, vel terroris plenas, vel celeres, vel tardiores, vel leves, vel majestate plenas, cet. Vocabula namque non solum ut signa cogitatuum, sed etiam ut soni considerandi sunt, qui cum re, quam notant, naturalem quandam similitudinem persaepe habent.

CAPUT V.

De Figuris.

Ad gravitatem orationis plurimum conferunt Figurae, quamquam aliquae et perspicuitati serviant et suavitati.

Est vero *Figura* modus quidam loquendi illustrior, qui a communi loquendi consuetudine remotus est.

Dividuntur figurae in figuras *verborum*, et in figuras *sententiarum.*

Figurae verborum sunt, quae in sola verborum conformatione consistunt.

Figurae sententiarum consistunt in ipsa re, ipsaque sententia.

Discrimen inter figuras verborum et sententiarum in eo positum est, quod mutatis verbis figurae verborum pereunt, figurae vero sententiarum stabiles permanent, quibuscunque verbis efferantur. e. g. figura repetitionis: *Nihil est virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius,* mutatis verbis perit; figura vero interrogationis: *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?* stabilis permanet, quibuscunque verbis interrogatio efferatur.

De Figuris verborum.

Praecipuae figurae verborum sunt sequentes:

- *Repetitio*, quum ab eadem voce saepius incipit oratio. e. g. *Nihil est, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Cic. ad Div. IX. ep.* 14. Vergessen sollte ich die reizenden Fluren, vergessen diese Haine? etc. Cramer.

Repetitioni opponitur,

Conversio, quum in eandem vocem saepius desinit oratio. e. g. Cic. *Ex quo tempore concordia de civitate sublata est, amicitia sublata est, fides sublata est.* Eine getreue, leutselige Zähre, die seh' ich noch immer Netzte sein Antlitz, ich küßte sie auf, die seh' ich noch immer. Klopstock.

Complexio, quae complectitur repetitionem, et conversionem; quum ab eadem voce incipit, et in eandem vocem saepius desinit oratio. e. g. *Cic. Quem senatus damnarit, quem populus romanus damnarit, quem omnium existimatio damnarit:* eum vos sententiis vestris absolvetis? Der kein Gesetz fürchtet, der keine Strafe fürchtet, der Gott nicht fürchtet, der sollte Scheu vor dem Laster haben? Jerusalem.

Conduplicatio est iteratio ejusdem vocis, vel in continenti, vel interjectis aliquot verbis, vel in fine: e. g. in continenti: *Vos, vos* adpello, fortissimi viri. *Cic.* Interpositis verbis: (Mithridates) *regnat*, et ita *regnat*, ut se non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit. *Cic. pro lege Man. III.* In fine: *Errabas* Verres, et vehementer *errabas. Cic.* Auferstehn, ja auferstehn wirst du, mein Geist, nach kurzer Ruh. Klopstock.

Synonymia, quum vocabula *prope idem* significantia frequentantur. e. g. *Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem ex urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem persequuti sumus; abiit, excessit, evasit, erupit. Cic. II. Catil. I.* In hac frequentatione synonymorum gradatio quaedam observanda est, ut oratio crescat. **Warum sind die Werke Gottes so geschmückt? Warum herrscht in Allem, was wir sehen, eine solche Pracht? Warum begegnen unseren Blicken so unzählbare Schönheiten? Cramer.**

Gradatio, quum oratio per gradus vel ascendit vel descendit. e. g. *Facinus est vincire civem romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid autem in crucem agere? verbo satis digno res tam nefaria nullo modo exprimi potest. Cic. Lib. V. in Verr. LXVI.* Gradatio descendens: *Grammatica in rebus parvis, in syllabis, in singulis prope literis atque interpunctionibus occupata est. Quinctil.* Im Anfange dieses Jahres entriß ihn der Tod seinen Freunden, unserer Stadt, den Wissenschaften, der Menschheit. Cramer.

Polysyndeton. est oratio conjunctionibus abundans, v. c. *Cic.* Caesarem *et* ut res quotidie, *et* dies, *et* opinio hominum, *et* ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit.

Darauf erhebt er sich wieder, und ist noch, und denkt noch und flucht,
Daß er noch ist, und sprützt mit bleichen, sterbenden Händen
Himmelan Blut.

Klopstock.

Huic opponitur *Asyndeton*, quae est oratio conjunctionibus destituta. Plerumque ad celeritatem indicandam adhibetur. v. c. *Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros, hostis adest. Virg. IX.* vv. 37. 38.

— — — Er rufte mit lechzender Zunge: Mich dürstet!
Ruft's, trank, dürstete, bebte, ward bleicher, blutete, rufte:
Vater in deine Hände 2c.

Klopstock.

Antithesis, quum verba verbis, sententiae sententiis opponuntur, v. c. verba verbis opponuntur: *Hoc vero quis*

ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebrios sobriis, dormientes vigilantibus? Cic. II. Catil. V. Sententiae sententiis opponuntur: *Dominari ii volunt, vos liberi esse. facere illi injuriam, vos prohibere; postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Sallust. Bell. Jug. c.* 31.

Unselig Mittelding von Menschen und von Vieh!
Du prahlst mit der Vernunft, und du gebrauchst sie nie.
Haller.

De figuris sententiarum.

Interrogatio est figura, quum orator non sciscitandi, sed instandi causa interrogat vel se, vel alios, vel adversarios. v. c. Multo gravius dicit Cicero per interrogationem: *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? I. Catil. I.* quam si dixisset: jam diu abuteris patientia nostra. **Wozu Umwege, wenn man gerade zum Ziele kommen kann? Wieland.**

Responsio est figura, quum interrogationi aliud redditur, quam quod exspectabatur, e. g. *Hominem occidisti? Imo latronem et parricidam.*

Warum zog das erzürnte Paar,
Sistan und wer sein Gegner war,
Die Degen aller Welt zum Schrecken?
Sie ruhig wieder einzustecken. Lessing.

Subjectio est figura, qua orator vel se interrogat. sibique ipse respondet: vel alios interrogat, et ipse, non exspectato eorum responso, responsionem subjungit. e. g. *Tu meam domum religiosam facere potuisti? Equa mente? quam amiseras. Qua manu? qua disturbaveras. Qua voce? qua incendi jusseras. Qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua scripseras. Cic. de Harusp. Resp. XV.* Wohin geräth der Herr Autor? — Nur Geduld, lieber Leser! wird dich nicht gereuen, diesen kleinen Umweg gemacht zu haben. **Wieland.**

Exclamatio est figura, per quam vehementiores animi motus cum vocis elatione et contentione exprimimus. e. g. *O fallacem hominum spem fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones! quae in medio saepe spatio frangun-*

Apud poëtas exclamatio creberrima est, quia apud illos omnia cum affectu tractantur. O was für Freude durchströmt mich! Wie herlich ist Alles um uns her! Geßner.

Praeteritio est figura, quum dicimus, ea nos reticere velle, quae maxime dicimus. Adhibetur haec figura, quum plura occurrunt, quae seorsim tractata minoris essent ponderis. e. g. Cicero de Pompejo: *Itaque non sum praedicaturus; Quirites, quantas ille res domi militiaeque, terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut ejus semper voluntatibus non modo cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint; sed etiam venti, tempestatesque obsecundarint. Pro lege Manil. XVI.* Erwarten sie nicht, daß ich hier diesen Helden auf seinen Siegeszeichen entseelt vorstelle, daß ich den blutigen Leichnam enthülle rc. Flechier.

Reticentia est repentina sermonis interruptio, qua tacetur aliquid, quod series orationis postulat, quod tamen ipsum facile intelligi potest. Locum tantum habet in vehementiori animi motu. Hinc frequentior est apud poëtas, quam oratores. e. g. *O incredibilem celeritatem*! (Caesaris). *Hujus autem nostri* (Pompeji) — — *sed non possum adcusare eum, de quo angor et crucior*; (hic subauditur *tarditatem*). *Cic. ad Att. VII. ep.* 22. Vel apud Virgil. I. v. 32, seqq.

Jam coelum terramque, meo sine numine, venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego — — sed motos praestat componere fluctus.

Adam, ist unser Schöpfer nicht mehr gütig? — Verliert der Unergründliche, wenn er uns vergibt? Knie, Adam, und vielleicht —. Ewald.

Expolitio est figura, qua eandem rem diversa ratione v. c. secundum suas partes, adjuncta, cet. spectandam proponimus, quo lectoris animus diutius immoretur, resque ipsa animo altius infigatur. Sic Virgilius per expolitionem proponit inferos. Georg. IV. v. 467. seqq.

Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, manesque adiit regemque tremendum
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.

Wir fühlen's, was für Freude die Seele nach einer guten Handlung durchströmt; wir fühlen's, daß wir nur dann wahrhaft glücklich sind, wenn wir tugendhaft sind. Durch Tugend steigen wir empor zu der Seligkeit reiner Geister, zu paradiesischem Glücke; da hingegen jede unbesiegte, unreine Leidenschaft uns hinunter reißt, und in Labyrinthe schleppt, wo Unruhe, Angst, Elend und Nachreue auf uns lauern. Geßner.

Epiphonema est gravis aliqua sententia post rem aliquam insignem vel narratam, vel probatam. Sic Cicero *pro M. Marcello IV.* post laudatam Caesaris in victoria clementiam addit epiphonema: *Recte igitur unus invictus es, a quo etiam ipsius victoriae conditio, visque devicta est.* Sic etiam Virgilius Aeneid. III. v. 55. post narratum impii Polymnestoris factum, qui Polydorum Priami filium occiderat, addit epiphonema: *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames?*

Concessio, oratoribus magis quam poëtis familiaris, est, quum damus aliquid liberaliter, ut aliud eo fortius pervincamus. Sic Cicero *Lib. II. in Verrem. XIX. Verum esto: eripe hereditatem propinquis, da palaestritis, praedare in bonis alienis nomine civitatis, everte leges, testamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum: num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit?* Daß der Sieg über uns selbst schwer sey, will ich gern zugeben; aber dieß werden Sie mir doch auch einräumen, daß er gerade um so viel beseligender und verdienstlicher sey, je schwerer er ist. Feder.

Deprecatio est, quum opem aut misericordiam aliorum imploramus. Sic Cicero *pro Dejotaro III.: Quamobrem hoc nos primum metu, C. Caesar, per fidem et constantiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti, istam, inquam, dexteram, non in bellis et proeliis, quam in promissis firmiorem.* Bey dem Andenken an deine verklärte Mutter; bey den Gebethen, die sie oft in der einsamen Mitternacht für dein Glück zum Himmel aufschickte; bey dem letzten ihrer Seufzer, der noch um Segen für dich flehte;



bey der Ruhe deines Lebens; bey Gott, Himmel und Seligkeit beschwöre ich dich; laß nie von der Liebe zur Tugend. *Weisse.*

Apostrophe est conversio orationis ad alios, quam ad quos oratio est directa. Haec conversio potest fieri ad personas vel veras, vel fictas.

Apostrophe tantum in affectu locum habere potest, ne verisimilitudo et suavitas laedatur.

Minimus gradus adfectuum sufficit, quum adloquimur res vita et ratione praeditas. Sic Cicero *pro domo sua XXXIX.* adloquitur deos immortales.

O dii immortales! (vos enim haec audire cupio) P. Clodius vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat? ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest?

Ihr wenigen Edlen, eilet mit mir über ein allzutrauriges A-gedenken weg, oder überlaßt euch vielmehr ohne Zwang eurem Schmerz. *Sturz.*

Vehementior affectus requiritur, quum adloquimur res quidem vivas, sed ratione carentes. Sic Mezentius apud Virg. *Aen. X. v.* 862. *seqq.* adloquitur equum suum:

Rhaebe, diu, res si qua diu mortalibus ulla est,
Viximus: aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Aeneae referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum; aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter.

Vehementissimus affectus requiritur, quum adloquimur, res vita sensuque carentes. Sic Turnus Aen. XII. v. 95. seqq. adloquitur hastam:

— — Nunc, o nunquam frustrata vocatus,
Hasta, meos, nunc tempus adest; te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit: da sternere corpus
Loricamque manu valida lacerare revolsam
Semiviri Phrygis, et foedare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.

Hypotyposis est figura, qua res tam graphice describuntur, ut non tam audiri vel legi, quam oculis cerni videantur. Id fit adferendo notas, signa et adjuncta rei, quae consilio scribentis vel dicentis conveniunt. Sic Cicero

L. V. in Verrem LXII. : *Ipse* (Verres) *inflammatus scelere et furore in forum venit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset; quum repente hominem corripi, atque in foro medio nudari, ac deligari et virgas expediri jubet. Clamat ille miser, se civem esse romanum* cet.

— — Weihe die Zeit nicht dem Spiele gebildeter Blätter,
Wo zusammen gekrümmt der Spielende sitzt, und des Lebens
Freye Verrichtungen hemmt: bald zürnt ob schwerem Verluste,
Bald sich freuet, und bald Fortunens Launen verfluchet.
Vieles Unheil folgt der Empfindungen stürmischem Wechsel:
Reue beginnet den Zug, ihn beschließt graunvolle Verzweiflung.
Neubeck 4. Ges.

Prosopopoeia est figura, quum personae vel verae, vel fictae loquentes inducuntur. Non nisi in affectu vehementi locum habere potest, ne verisimilitudo et suavitas laedatur.

Prosopopoeia mitiganda est per quasdam circumstantias. Sic Cic. *I. Catil. VII.* patriam loquentem inducens, dicit, eam quodammodo tacitam loqui: *Nullum jam tot annos facinus exstitit, nisi per te: nullum flagitium sine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera: tu non solum ad negligendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt tamen, ut potui, tuli. Nunc vero, me totam esse in metu propter te unum: quidquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me consilium iniri posse, quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quam ob rem discede, atque hunc mihi timorem eripe; si est verus, ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.* Haec si tecum, ut dixi patria loquatur cet.

Da war ich im Traume,
In dem Tempel, und eilte, mit Gott das Volk zu versöhnen.
Schon floß Blut der Opfer vor mir, ich ging anbethend
Schon ins Allerheiligste Gottes, ich hatte den Vorhang
Schon eröffnet: da sah ich, — noch beben mir alle Gebeine,

Gottes Schreckniß fällt noch auf mich, wie tödtend, herunter! —
Aaron sah ich, im heiligen Schmuck, mit drohender Stirne
Gegen mich kommen. Sein Auge voll Feuer, von göttlichem Grimm voll,
Tödtete! Sieh, das Bild der Brust, voll gewaltiger Strahlen,
Blitzte, wie Horeb, auf mich! Der Cherubim Fittige rauschten,
Fürchterlich auf der Lade des Bundes! Auf einmahl entfiel mir
Rauschend mein Hohespriester-Gewand, wie Asche, zur Erde.
Fleuch! rief Aron mit schreckendem Ton, du des Priesterthums Schande,
Fleuch! Elender, dir sag' ich, daß du die heilige Stätte
Künftig nicht mehr als Priester des Herrn. verwegen entheiligst.
Bist du es nicht? Hier sah er mich grimmig mit tödtendem Blick' an,
Wie man herab auf den Todfeind blickt, und lieber ihn würgte:
Bist du es nicht, Unwürdiger! du, der jenen Verruchten,
Jenen entsetzlichen Mann ungestraft das Heiligthum lästern,
Meinen Bruder Moses, und mich, und Abraham schmähen,
Und die Sabbathe Gottes mit feiger Trägheit entweihn sieht?
Geh, Elender! damit dich nicht schnell, wenn du ferner verweilest,
Gottes Gnadenstuhl mit dem heiligen Feuer verzehre.
Also sagt er.

Klopstock.

Dubitatio est figura, quum orator dubitare videtur, quid potissimum dicendum agendumve sit. Gravior est haec figura, quum singulis dubitationibus causae dubitandi adduntur. Sic elegans est dubitatio Gracchi apud Ciceronem *Orat. L. III. c. LVI. Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. An domum? matremne ut miseram lamentantemque videam et abjectam?*

Ja Reichthum wünsch' ich mir! . . .
Doch hab' ich auch bedacht,
Ob das der Reichthum ist,
Wozu der Schein ihn macht?

Gellert.

Occupatio est figura, quum orator id, quod sibi objici posse videt, dicendo praevenit. Sic Cicero *pro M. Coelio XIII.* excusans Coelii vitia adolescentiae, videt objici sibi posse, malam educationem adolescentium a se probari: hanc objectionem praeoccupat: *Dicet aliquis: haec igitur tua est disciplina, sic tu instituis adolescentes?* Mox hanc

objectionem refutat. Aber warum ist der Mensch, der Herr der irdischen Schöpfung, mit so vielen Schwachheiten behaftet, und so mannigfaltigen Leiden unterworfen? — Eben deßwegen, weil er Mensch, und kein Engel ist. Feder.

Communicatio est figura, quum orator deliberat vel cum auditoribus vel aliis, quid faciendum sit. Sic Cicero in Verr. rem communicat cum judicibus. *Nunc ego, Judices, vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Id enim consilii mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum putavi.*

Wie soll ich dich bestrafen,
Unruhigster der Hähne?
Soll ich dich deiner Sporne,
Und deiner Purpurkrone,
Und deines Barts berauben? ꝛc. Götz.

Correctio est figura, quum illud, quod praecesserat, corrigimus alio magis idoneo verbo vel sententia. e. g. *Hic tibi rostra Cato advolat, convicium Pisoni Consuli mirificum facit; si id est convicium, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. Cic. ad Att. I. ep.* 14. Ganz Spanien — doch was sage ich? — ganz Europa richtet seine Blicke voll Erwartung auf diesen belagerten Felsen (Gibraltar). Feder.

Sustentatio est figura, qua auditorum animi suspensi tenentur, et deinde aliquid inexspectatum subjungitur, quod animos percellit e. g. apud Martialem: *L. VI. ep.* 1.

Quod convivaris sine me tam saepe, Luperce,
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar: licet usque voces, mittasque, rogesque.
Quid facies? inquis; quid faciam? veniam.

Vel apud Ciceronem in Verrem: *Quid haec sibi dona voluerunt? — — — quibus ex hostium spoliis? de qua victoria? — — an quod ager Syracusanus praedonum incendiis te Praetore vastatus est? — — Nihil possum reperire, nisi forte id egisti, ut hominibus ne oblivisci quidem rerum tuarum male gestarum liceret.*

Kaum seh' ich den Donner die Himmel umziehen,
So flieh' ich zum Keller hinein;

Was meint ihr? ich suche den Donner zu fliehen?
Ihr irrt euch! ich suche den Wein. *Lessing.*

CAPUT VI.

De stylo poëtico ejusque differentia a prosaico

Sermo poëticus a prosaico praecipue in eo differt, quod oratio poëtica vere *sensilis* esse debet, ita, ut omnia sensibus quasi subjiciat, et omnia vocabula abstracta, utut optima, tamquam vitiosa devitet.

Et quoniam finis poëseos est praecipue delectare et animos movere, necessaria dos styli poëtici est *orationis vigor*.

Vigor autem *orationis* multum adjuvatur per numeros poëticos.

De numeris poëticis.

Numeri poëtici sunt modus quidam orationis, qui ex certo ordine, genere et numero pedum nascitur, facitque, ut jucunda ad aures accidat oratio.

Hinc numeri poëtici consistunt praecipue in versu, qui ex pedibus poëticis oritur.

Pedes nascuntur ex syllabis, suntque partes versus certo numero, ordine, et quantitate syllabarum constantes.

Nota. De syllabarum quantitate, pedibusque usitatissimis in grammatica actum, quae hic breviter recolenda sunt.

Versus e certo numero, genere et ordine pedum constat. Ex triplici hac ratione varia existunt genera versuum. Praecipui simulque usitatissimi sunt: I. Hexameter. II. Pentameter. III. Iambicus. IV. Sapphicus. V. Phalaecius. VI. Choriambicus seu Asclepiadeus. VII. Alcaicus.

Ex pluribus versibus opus aliquod poëticum constituentibus *Carmen oritur.*

I. Hexameter.

1) *Versus Hexameter* 6 pedibus constat, unde et nomen habet. Priores quatuor dactyli esse possunt, vel spondei, quintus dactylus semper est, sextus spondeus vel trochaeus.

Metrum illius sequens est:

— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡
— — | — — | — — | — — | — — | — —

Non est in medico semper, relevetur ut aeger. *Ovid. L. I. ex Ponto ep.* 3. *v.* 17.

Multi rixantur de lana saepe caprina. *Hor. Epist. I. ep.* 18. *v.* 15.

Nota. 1) Ad suavitatem hexametri plurimum confert caesura. Est autem *Caesura* syllaba post quemvis pedem relicta, ex prioris pedis vocabulo quasi caesa vel absciffa, et pedem sequentem inchoans.

2) Caesura autem in hexametro locum plerumque habet post secundum pedem, aut post primum et tertium simul, rarius solum post tertium. v. c.

Oderunt peccare boni, virtutis amore. Hor. *Ep. I.* 16. 52.

2) In quinto pede pro dactylo adhibetur nonnunquam spondeus ad gravitatem, magnitudinem cet. exprimendam; quod quum fit, quartus pes dactylum habet. Versus ejusmodi *spondaicus* dicitur. v. c. Virgilius de Aenea Veneris filio, *Ecl IV. v.* 49.

Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum.

Nota. Versus hexameter etiam *heroicus* dicitur, quia heroum facta eo versu celebrari solent: et carmen hoc versu scriptum *heroicum* vocatur.

3) Pedes tardi cum celerioribus, quantum sensus patitur, alternent. Sunt autem *tardi*, qui pluribus longis, aut in vocabulo dissyllabo, prima longa constant; *celeres* contra, qui plures breves, aut in dissyllabo primam brevem habent. Ad majorem tamen gravitatem, difficultatem, moram cet. exprimendam, plures tardi pedes, at contra ad celeritatem, festinationem, praecipitantiam cet. plures celeres cum virtute se continuo excipiunt:

Plures tardi pedes v. c. Virgil. de Aeolo. *Aen. I. vv.* 53. 54,

Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit.

et de Cyclopibus fabricantibus, *Georg. IV. v.* 174.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt.

Plures pedes celeres v. c. de ventis e custodia erumpentibus:

Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant. Virg. *Aen. I. v.* 83.

De alacritate, ad certamen propeantium:

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis; ferit aethera clamor. Idem. *L. V.* 139.

De equo celerrime fugiente;

Quadrupedante putrem sonitu ferit ungula campum. Virg. *Aen. VIII. v.* 596.

4) Exitus et clausula Hexametri varianda, et jam dissyllaba, jam trisyllaba vox, rarius duae monosyllabae voces versum claudant. v. c.

Principibus placuisse viris non ultima laus est. Hor. *Epist. L. I.* 17. *v.* 35.

E versu Hexametro alia versuum genera orta sunt, quae tanquam partes illius considerari possunt:

1) Versus *Adonius*, qui e duobus ultimis pedibus hexametri constat, dactylo nempe et spondeo vel trochaeo. v. c.

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato
Nec dolor adsit. Boëthius.

2) Versus *Pherecraticus*, ab inventore Pherecrate sic dictus, constat e tribus ultimis pedibus hexametri. En illius metrum:

— — | — ∪ ∪ | — ∪
— —

v. c. *Cras donaberis hoedo.* Horat. *Carm. L. III.* 13. *v.* 3

3) Versus *heroicus tetrameter*, seu *Alcmanius*, constat e quatuor ultimis pedibus hexametri, hoc metro:

— ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ ∪ | — —
— — | — — | | ∪

v. c. *O fortes pejoraque passi,*
Cras ingens iterabimus aequor. Hor. *Carm. I.* 7. *vv.* 30. 32.

Nota. Versus Adonius raro, Pherecratius et Alcmanius nunquam soli, sed cum aliis conjuncti adhibentur.

II. Pentameter.

Pentameter e numero pedum nomen habet. Constat duabus partibus. Prima duos pedes, aut dactylos aut

spondeos, et syllabam longam habet, quae caesuram efficit: altera duos dactylos et syllabam unam sive longam, sive brevem: ultima enim syllaba cujusque versus arbitraria est.

Schema:

— ∪ ∪	— ∪ ∪	—	— ∪ ∪	— ∪ ∪	∪
— —	— —				—

Interdum lacrymae pondera vocis habent. Ovid. *Pont. III.* 1. 158.

Nota. Pentameter nunquam solus adhibetur, sed semper hexametro junctus, eum quo *distichon* facit; et quia ita junctus scribendis elegiis inservit, versus *elegiacus* nominari solet. v. c.

Acer et ad palmae per se cursurus honores
Si tamen horteris, fortius ibit equus. Ovid. *Pont. II.* 11. 21.

E pentametro ortus est versus *Archilochius* ab inventore Archilochio sic dictus. Est enim versus Archilochius ultima pentametri pars, hoc metro:

— ∪ ∪	— ∪ ∪	∪
		—

Pulvis et umbra sumus. Hor. *Carm. IV.* 7. v. 16.

Nota. Neque hic versus unquam solus adhibetur a Poëtis, sed cum alio jungitur.

III. *Versus Iambicus.*

A pedibus iambis nomen habet, e quibus totus aut maximam partem constat.

Si meris iambis constat, purus dicitur, et quo plures iambos habet, eo elegantior; in pedibus vero paribus 2. 4. 6. 8. iambus semper sit: in reliquis, seu imparibus et dactylum et tribrachym et anapaestum et spondeum recipit:

Metrum Iambicum.

∪ —	∪ —	∪ —	∪ —	∪ —	∪ —
— —	∪ ∪ ∪	— —	∪ ∪ ∪	— —	∪
∪ ∪ —		∪ ∪ —		∪ ∪ —	
— ∪ ∪		— ∪ ∪		— ∪ ∪	
∪ ∪ ∪		∪ ∪ ∪		∪ ∪ ∪	

Quaternarii. (*Fortuna non mutat genus.* Hor. *Epod.* 4. v. 6.
(*Queruntur in silvis aves.* Id. *Epod.* 2. v. 26.

Senarii. (*Beatus ille, qui procul negotiis,*
(*Paterna rura bobus exercet suis.* Hor. *Epod.* 2. vv. 1. 3.

Nota. 1) Iambici octonarii raro occurrunt.

2) In versu iambico duo pedes simul sumti *metrum* vocari solent, inde iambicus quaternarius *dimeter*, senarius vero *trimeter* nominatur.

Ad iambicum versum pertinent;

1) Versus *Anacreonticus*, ab Anacreonte Poëta graeco sic dictus, qui nihil aliud est, quam iambicus quaternarius mutilus, omissa scilicet ultima syllaba, ut ex subjecto metro liquet.

υ — | υ — | υ — | υ |
— — |
υ υ — |

v. c. *Frenare nescis iras,*
Medea, non amores. Sen. *Medea vv.* 866.867.

2) *Scazon*, iambico senario cetera similis, nisi quod et in quinto pede iambum constanter habet, in sexto vero spondeum aut trochaeum, hoc metro

υ — | υ — | υ — | υ — | υ — | — — |
— — | υ υ υ | — — | υ υ υ | | υ |

O quid solutis est beatius curis:
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus ad larem nostrum. Catull. 9. (31).

IV. Versus Sapphicus

A poëtria Sappho nomen traxit, et quinque pedibus constat, quorum primus trochaeus est, alter spondeus, tertius dactylus, quartus et quintus trochaei.

Schema: — υ | — — | — υ υ | — υ | — υ |

Nulla vis major pietate vera. Sen. *Thyestes v.* 549.

Nota. 1) Versus sapphicus apud latinos in tertio pede caesuram habere debet.

2) Solitarius rarior eſt, ſed cum *adonio* conjungitur ita, ut tribus sapphicis subjungatur adonius, qui stropham sapphicam efficiunt.

v. c. *Vivitur parvo bene, cui paternum*
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert. Hor. *Carm. L. II,* 16. *v.* 13—16.

V. Versus Phalaecius

Ab inventore Phalaeco sic dictus, constat itidem quinque pedibus, quorum primus est spondeus, alter dactylus, reliqui tres trochaei.

Schema: — — | — ᴗ ᴗ | — ᴗ | — ᴗ | — ᴗ/—

v. c. *Nummi quum tibi sint, opesque tantae,*
Largiris nihil, incubasque gazae. Mart. L. *XII.* 53.

Nota. Dicitur et *hendecasyllabus* a numero undecim syllabarum.

VI. Versus Choriambicus

A Choriambo pede, qui in eo regnat, nomen habet, Ejus species usitatissimae sunt:

1) Choriambus trimeter seu *Glyconius*, a Glycone poëta, qui constat tribus pedibus, spondeo, choriambo, et iambo.

Schema: — — | — ᴗ ᴗ — | ᴗ ᴗ/—

v. c. *Regem non faciunt opes,*
Non vestis tyriae color. Sen. *Thyestes, vv.* 344. 345.

2) Choriambicus tetrameter seu Asclepiadeus, a poëta, Asclepiade inventore, quatuor pedibus, spondeo, duobus choriambis et jambo constat.

Schema: — — | — ᴗ ᴗ — | — ᴗ ᴗ — | ᴗ —

v. c. *Multos castra juvant et lituo tubae*
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata. — — — — Hor. *Carm. I.* 1. *v.* 23—25.

Nota. 1) Ad suavitatem versus hujus pertinet, ut primo choriambo vocabulum absolvatur.

2) Si tres sint choriambi continui, choriambus pentameter oritur. v. c.

Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit? Hor. *Carm. IV.* 10. *v.* 7.

VII. Versus Alcaicus

Ab Alcaeo, poëta celebri, dictus. Quatuor pedibus constat, spondeo (rarius jambo), bacchio, choriambo et iambo.

Schema: — —/ᴗ | ᴗ — — | — ᴗ ᴗ — | ᴗ ᴗ/—

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis. Hor. *Carm.II.3,vv.1.2.*

Nota. Versus hic cum aliis conjungi solet.

Ad versum pertinet etiam *scansio*, quae est justa versuum secundum praescriptos pedes dimensio. Qui igitur versum in sua membra seu pedes recte dividere novit, *versum scandere* dicitur.

Quod ut recte fiat, *elisionis* ratio habenda est. Vocalis namque aut etiam diphthongus, aut etiam *m* cum praecedente vocali in fine vocis, quum vocabulum sequens a vocali aut *h* incipit, ab ea absorbetur, vel *eliditur*, ut vulgo, dicimus. v. c.

Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit. Hor. *Epist.I.1.v.39.*
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. Idem. *ibid v. 52.*

quae in scandendo legenda sunt: *Nem' adeo*, et *argent' est.*

Dos essentialis cujuscunque versus suavitas est; quae igitur hanc suavitatem turbant, sollicite vitanda sunt et quidem:

1) Asper aut etiam alius ineptus literarum vel syllabarum concursus. v. c. *Densus stridor*; aut in illo Ciceronis:

O fortunatam, natam me consule Romam repetitio syllabarum *natam.*

2) Voces plures monosyllabae, quae se continuo excipiunt, aut una etiam versum claudens. v. c.

Praeterea, ne sic, ut qui jocularia, ridens,
Percurram — — — — — — Hor. *Sat.I.vv.23.24.*
Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis. Idem. *ibid. v. 62.*

Nota. At vero ad casum, aut firmitatem exprimendam monosyllabum in fine versus cum virtute adhibetur. v. c.

Sternitur, exanimisque metu procumbit humi bos. Virg. *Aen. V. v. 481.*
Hostem magnanimum operiens et mole sua stat. Virg. *Aen. X. v. 771.*

3) Elisio crebrior aut etiam in prima versus syllaba. v. c.

Quid verum, atque decens, curo, et rogo, et omnis in hoc sum. Hor. *Epist. I.1.v. 11.*

4) *Hiatus* seu elisio neglecta. v. c.

Et succus pecori et lac subducitur agnis. Virg. *Ecloge III. v.6.*

At in illa Virgilii de Gigantibus, *Georg. I. v. 281.*

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,

duplex hiatus molimen et difficultatem vivide exprimit: uti illo elisionibus abundante versu, *Aen. II. v.* 658.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum est,

deformitatem et diritatem Polyphemi aures quoque sentiunt.

5) Voces nimis longae, praecipue in fine versus, v. c.

Mitte leves spes et certamina divitiarum. Hor. *Epist. I.* 5. *v.* 8.

De arte metrica.

Per *artem metricam* intelligimus compendia quaedam, quibus poëtae latini in scribendis versibus utuntur.

E multis multorum observationibus aliqua solum nosse proderit, quae non tam pangendis, quam recte dijudicandis et scandendis versibus inservient.

Praecipuum et fere unicum compendium efficiendorum versuum suppeditant omnes illi orationis latinae variandae fontes, quos in grammatica latina fuse aperuimus; ut sunt: usus jam participiorum, jam particularum, commutatio verborum, brevitas denique et copia orationis.

Sunt praeterea singularia quaedam compendia, quae poëtae in formando versu, non tamen crebro, adhibere solent.

1) Vocales *u* et *i* in consonantes, et contra consonante *v* et *j* in vocales, prout opus est, mutantur v. c.

Stamina non ulli *dissoluenda* deo, pro *dissolvenda*. *Tib. I.* 7. 1.
Tenvis ubi argilla et dumofis calculus arvis, pro *tenuis*. *Virg. Georg. II. v.* 180.

Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt *abjete* costas, pro *abiete*. Virg. *Aen. II. vv.* 15. 16.

2) Voces contrahuntur:

a) ejecta vocali aut syllaba v. c. *vincla*, *pericla*, *secla*, pro vincula, pericula, secula; *natantum*, *prudentum*, pro natantium cet. *impostus*, *repostus*, pro impositus cet. *Divum*, *equum*, *virum*, pro divorum cet.

Etjam tempus *equum* spumantia solvere colla. *Virg. Georg. II.* 542.

b) contrahendo duas vocales in unam syllabam v. c. *oti* pro otii.

v. c. *Di* tibi divitias dederunt, artemque fruendi. *Hor. Epist. I.* 4. *v.* 7.

3) Voces dilatantur, inserendo unam alteramve literam v. c. *Navita*, *Mavors*, pro nauta, Mars.

4) Voces compositae dividuntur, et una aut altera interseritur; v. c. *Inter enim labentur aquae*, pro interlabentur enim. Quin et vocabulum nonnunquam ita discerpitur, ut prior pars versum claudat, altera sequentem versum inchoet, quod tamen non probatur.

v. c. *Otium* — — — — —
Grosphe non gemmis neque purpura venale nec auro. Hor. *Carm II.* 16. v. 1—8.

5) Syllaba in vocalem desinens et in fine versus abundans a vocali sequente versum inchoante absorbetur. Versus autem ejusmodi *Hypermeter* nominatur. v. c.

Omnia Mercurio similis vocemque coloremque,
Et crines flavos, et membra decora juventae. Virg. *Aen. IV. vv.* 558. 559.

6) Syllaba brevis versum inchoans, aut etiam beneficio caesurae, producitur. v. c.

Et animam et mentem, cum qua di nocte loquuntur. *Juv. VI.* 531.
Pectoribus inhians spirantia consulit exta. *Virg. Aen. IV.* 64.

7) Urgente metri necessitate syllaba longa corripitur et brevis producitur.

Ibitis *Italiam* portusque intrare licebit. *Virg. Aen. III. v.* 254.
Obstupui *steteruntque* comae, et vox faucibus haesit. *Virg. Aen. II. n.* 774.

Nota. Postrema duo compendia *Licentia poëtica* adpellantur.

De aliis quibusdam proprietatibus eloquutionis poëticae.

Praeter numeros poëticos multa sunt alia dictioni poëticae propria, quae orationi, etiam numeris solutae, poëticum quemdam colorem tribuunt, rarius tamen in prosa occurrunt. Horum praecipua sunt:

1) *Archaismus*, quum voces, aut flexiones vocum antiquatae adhibentur, v. c. *Aulai* pro aulae; *admittier* pro admitti, *duint* pro dent, *olli* pro illi.

Quam pulchrum est digito monstrari et *dicier:* Hic est. *Pers. Sat.* I. v. 28.

2) *Hellenismus* seu constructio more Graecorum. Hellenismus occurrit fere in adjectivis et verbis.

In Adjectivis. a) Adjectiva ablativum regentia construuntur cum genitivo vel accusativo, more Graecorum. v. c. *Sceleris purus*, *potens armorum*, *dives opum* pro scelere, armis, opibus. — *Os humerosque deo similis*, pro ore, humerisque *Virg. Aen. I v.* 589.

b) Nonnunquam adjectiva substantivorum more construuntur: v. c. *Strata viarum*, *Virg. Aen. I. v.* 422, *opaca locorum*, *coeli convexa*: pro viae stratae, opaca loca, coelum convexum.

In Verbis α) Verba ablativum regentia, construuntur cum genitivo aut dativo. v. c. *Desine querelarum* pro a querelis; nec noscitur *ulli* pro ab ullo. β) Infinitivus verborum pro aliis partibus verbi, v. c. supino, gerundio cet. aut etiam modo finito ponitur, v. c. causa *perire* fuit pro pereundi; ibit *frenare* cohortes pro frenatum; dignus *amari*, pro ut ametur, indocilis pauperiem *pati*, pro qui patiatur.

3) Vocabula nova, eorumve compositio nova. v. c. *sonipes* pro equo, *Virg. Aen. IV. v.* 135. *auritulus* pro asino cet. *squamiger*, *auricomus*, *aerisonus*, *navifragum*, *velivolum mare*, cet.

4) *Trajectio verborum* liberior:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, *Damoetas dono mihi quam dedit olim.* Virg. Ecl. II. v. 36.

5) *Troporum crebrior*, liberior et audacior usus. Exempla quaevis poëtae, praesertim lyrici aut epici pagina exhibet.

6) *Enallagae crebriores* v. c.

a) Adjectivum pro adverbio: *Fistula dulce* canit, pro dulciter, *leue* spirantes Zephyri, pro leniter.

b) Tempus pro tempore v. c. Bacchatur vates, magnum si pectore possit, *excussisse* deum; *Virg. Aen. VI. vv.* 78. 79., pro excutere —

Ni faciat, *maria ac terras coelumque profundum*
Quippe ferant *rapidi secum*, verrantque *per auras.* Virg. *Aen. I. vv.* 58 59.

pro faceret, ferrent, verrerent.

c) Numerus pro numero, v. c.

Quamvis multa meis exiret victima septis. Virg. Ecl. I. v. 34. pro multae victimae — septo meo.

7) *Numerandi et computandi ratio insolita* a) per resolutionem numerorum v. c. *Bis quinos silet ille dies*, pro 10. *Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus* pro 13tius.

b) Annos numerando per lustra, olympiades cet. item per partes anni, ver, aestatem, auctumnum, hiemem, aut per ea, quae his anni partibus fieri solent, sic *rosae, violae* pro vere, *messis* pro aestate, *vindemia* pro auctumno, *bruma, nives, glacies* pro hieme v. c. *lustris bis quinque peractis* pro 50 annis. *Sexagesima messis acta est*, pro 60 anni fluxere. — *Ter senas vixit Olympiades* pro 72 annos. — *Ante brumas triginta* pro 30 annos.

8) *Similitudines* saepe coacervatae. Redditur namque oratio tanto vividior, magisque sensilis, quo plures ejusdem rei imagines menti proponuntur.

Est autem *Similitudo* imago rei cum re ipsa, quam exhibet, collata. Ratio autem tractandi similitudines varia est.

a) Imago solum nominatur, continuoque cum re ipsa conjungitur, idque fit plerumque una, saepe duabus particulis similitudinis.

v. c. *Perque sinus lacrimae fluminis instar eunt.* Ovid. Heroid. VIII. 60.

Hic Hecuba et gnatae nequidquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempestate columbae,
Condensae, et divom amplexae simulacra sedebant. Virg. Aen. II. vv. 515. seqq.

Vel duabus particulis:

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas. Virg. Ecl. V. vv. 16. seqq.
Ein Thränenbach netzt ihr Gesicht, wie Thau von Rosen fließt. Kleist.

So Klopstock von Joseph v. Arimathäa.

Still, wie der friedsame Mond in der hohen dämmernden Wolke über uns wallt, so ging in diesen Versammlungen Joseph.

Nota. Ejusmodi breves similitudines saepe plures coacervantur, omissis etiam particulis similitudinis, v. c.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae. Virg. Ecl. III. vv. 80. 81.

Schön ist einer Eiche
Wolkennaher Wipfel,
Wenn ihr jung Geschoß
Unter ihren Armen
Fette Spitzen hebet,
Aber schöner ist doch Eine noch.
Schön ist in der Mitte
Silberweißer Kinder
Ein erhabner Schwan,
Wenn er auf dem Teiche
Frohbegleitet segelt;
Aber schöner ist doch Eine noch.
Schön ist an des Himmels
Blauem Nachtgesichte
Dünstelofer Mond,
Wenn er unter Sternen
Sanft beleuchtend wandelt;
Aber schöner ist doch Eine noch.
Schöner in dem Kreise
Göttergleicher Kinder
Ist Theresia;
Schöner unter Söhnen,
Schöner unter Töchtern,
Weicht der Mutter Eiche, Schwan und Mond.

M. Denis.

b) Aut id, in quo imago cum re ipsa convenit, paucis verbis describitur, continuoque cum re ipsa confertur. v. c. Virgil. Aen. II. v. 378. seqq. de Androgeo in hostes delapso:

Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Adtollentem iras, et caerula colla tumentem:
Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat.

— — — — — — — — — Nikodemus
Stand mit unverwendetem Antlitz. So, wie ein Mann steht,
Welcher den Unterdrücker erduldet, und in sich den Vorzug
Und die Erhabenheit seiner Tugend und Unschuld empfindet.
Ernst ist in seinem Gesichte; tief in der Seele der Himmel.

Klopstock.

c) Aut imago rei pluribus verbis pingitur, et ultra quam necesse est, extenditur ita, ut diutius in ea cum

voluptate quadam immoremur, rei ipsius prope incurii. v. c. Virgilius de Mezentio Trojanos invadente, Aen. L. X. v. 707. seqq.

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, silva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos,
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus;
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant:
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas.
Haud aliter, justae quibus est Mezentius irae,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.

Kaiphas aber lag, nach Satans dunklem Gesichte,
Noch voll Angst auf dem Lager, von dem die Ruhe geflohn war;
Schlief bald Augenblicke, dann wacht' er wieder, und warf sich
Ungestüm, voll Gedanken, herum. Wie tief in der Feldschlacht
Sterbend ein Gottesläugner sich wälzt; der kommende Sieger,
Und das bäumende Roß, der rauschenden Panzer Getöse,
Und das Geschrey und der Tödtenden Wuth und der donnernde Himmel
Stürmen auf ihn; er liegt, und sinkt mit gespaltenem Haupte
Dumm und gedankenlos unter die Todten, und glaubt zu vergehen.
Dann erhebt er sich wieder, und ist noch, und denkt noch, und fluchet,
Daß er noch ist, und spritzt mit bleichen, sterbenden Händen
Himmelan Blut; Gott flucht er, und wollt' ihn gerne noch läugnen
Also betäubt sprang Kaiphas auf. — — Klopstock.

Annotatio. Observandum est praeterea discrimen in usu particularum similitudinis apud oratores et poëtas. Apud illos usitatae sunt: Quemadmodum, sicut-ita, sic; apud hos: Qualis-talis, haud aliter, non secus; ac velut-haud secus cet.

9) Ad similitudinem proxime accedit *Allegoria*, quae sermoni poëtico singularem vim et venustatem addit.

Est autem *Allegoria*, quum imago rei pro re ipsa ponitur, sine ulla collatione et sine particulis similitudinis.

Imago autem talis esse debet, ut ex illa res ipsa *certo* et *cum utilitate* cognoscatur.

Si ex imagine res ipsa *certo* et clare cognosci nequit, *Aenigma* dicitur.

Utilitas ex allegoria exsistet, si res ipsa ope imaginis clarior, suavior aut gravior legenti vel audienti videatur, hinc imago ipsa satis nota esse debet.

Duo in allegoria cavenda: 1) ne longius, quam par est, progrediatur, 2) ne nomen proprium rei immisceatur. Exemplum luculentissimum est illud Horatii Od. I. 14. ubi rempublicam sub imagine navis a bello civili dehortatur,

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant, ac sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor? Non tibi sunt integra lintea cet.

Mach deinen Raupenstand, und diesen Tropfen Zeit,
Den nicht zu deinem Zweck, die nicht zur Ewigkeit.

Haller.

Anhang.

Von der Metrik der Deutschen.

In diesem Anhange werden nur jene Puncte berührt, in welchen die deutsche Metrik von der lateinischen abweicht.

Diese Abweichungen werden unter folgenden drey §. §. angezeigt: 1. Reim. 2. Versbau. 3. Versarten.

§. 1.

Von dem Reime.

Der Reim, in lateinischen Versen ein Fehler, wird in einigen deutschen Versarten, z. B. den jambischen, trochäischen, amphibrachischen und daktylischen für eine Schönheit gehalten.

Der Reim ist der ähnliche Klang der letzten Sylben zweyer oder mehrerer Verse.

Ist nur die letzte Sylbe des Wortes gleich klingend, so heißt er ein männlicher Reim, z. B. geht, steht; sind es die zwey letzteren Sylben, so machen sie einen weiblichen Reim, z. B. gehen, stehen.

Der männliche Reim kann nur in einer langen Sylbe (der Stammsylbe) seyn: im weiblichen muß die letzte bestimmt kurz, nicht mittelzeitig, und die vorletzte lang seyn. Daher reimt man nicht geh und erste, Wahrheit und Klarheit.

Die reine und richtige Aussprache bestimmt allein den Reim oder den gleichen Klang der Sylben. Daher geben ö und e oder ä; ü und i keinen gleichen Klang, folglich keinen reinen Reim; eben so wenig gelinde und geschärfte, einfache und doppelte Mitlaute, welche im weiblichen Reime zwischen den zwey Sylben stehen, wie: kleiden und leiten, essen und Wesen, weisen und reißen.

Im männlichen Reime hingegen machen gelinde und geschärfte, einfache und doppelte Mitlaute keine bedeutende Ungleichheit im Reime, und werden daher geduldet. Z. B. Noth und Tod, groß und los.

Die Mitlaute, welche den männlichen oder weiblichen Reim anfangen, müssen verschieden seyn; daher machen gab und vergab, vergeben und umgeben einen fehlerhaften Reim.

Wenn bisweilen das nähmliche Wort im Reime wiederhohlt wird, so geschieht es des Nachdruckes wegen, der im wiederhohlten Worte liegt. In folgender Stelle Kleists drückt das wiederhohlte Lalage das Echo aus.

So klagt Amynt, die Augen voll von Thränen,
Den Gegenden die Flucht der Lalage;
Sie schienen sich mit ihm nach ihr zu sehnen,
Und seufzten: Lalage!

Des Reimes bestimmter Platz sind nur die Endsylben des Verses.

Anmerkung. Der nähmliche Reim muß nicht sobald wieder zurückkehren, bis nicht das Ohr denselben gleichsam vergessen hat.

Gewöhnlich werden zwey Verse zusammen gereimt, die entweder auf einander folgen, oder mit andern Reimen abwechseln.

In scherzhaften Gedichten kommen auch wohl vier Verse von gleichen Reimen nach einander vor. In den achtzeiligen 2c, den

Italienern nachgebildeten Stanzen, wechseln ein männlicher und ein weiblicher Reim drey Mahle, und ein anderer weiblicher Reim schließt die Strophe.

Man hat wohl ganze Gedichte mit männlichen Reimen, aber nicht mit weiblichen, weil dadurch des Geklingels zuviel würde. Man wechselt daher sehr gern mit männlichen und weiblichen Reimen ab. Das folgende Schema zeigt die gewöhnliche Mischung und Abwechselung der männlichen und weiblichen Reime.

1.	2.	3.	4.	5.	6.
M.	W.	M.	W.	M.	W.
M.	W.	W.	M.	W.	M.
W.	M.	M.	W.	W.	M.
W.	M.	W.	M.	M.	W.

§. II.

Versbau.

Die Eigenheiten des deutschen Versbaues, durch welche er sich von dem lateinischen unterscheidet, erstrecken sich theils auf alle Versarten, theils finden sie nur in einigen Statt.

Eigenheiten, welche in jeder Versart Statt finden, sind 1) die **Elision**, 2) die **Verkürzung**, 3) die **Erweiterung** der Wörter

1) Die **Elision** besteht darin, daß das e am Ende eines Wortes weggeworfen wird, wenn das folgende mit einem Vocale, besonders mit einem e anfängt. Das weggeworfene e wird durch den Apostroph (') angedeutet; z. B.

Jetzo hätt' in der Wuth sich schnell die Versammlung getrennet.
Judas, vom Aug' und dem Wunsche des Pharisäers begleitet.
Also sagt' er. Jetzt strahlt die erhabene Mittagssonne
Über Jerusalem nieder.

Klopstock.

2) Die **Verkürzung** eines Wortes geschieht durch die Auslassung eines sehr kurzen e oder i, welche zwischen zwey Mitlauten stehen, z. B. ew'ge statt ewige, Ält'ste für Älteste, Tod's für Todes, geh'n für gehen.

Dort versammelten sich die Priester und Ält'sten des Volkes.
Klopstock.

Alle jene Elisionen und Verkürzungen sind zu vermeiden, welche die Aussprache durch Häufung der Mitlaute, besonders gleichtönender, erschweren, Z. B. acheront'schen, styg'schen; oder einen Doppelsinn verursachen; z. B. fragt' er, fragte er.

3) Die Erweiterung geschieht durch Beybehaltung des e in jenen Wörtern, welche nach den strengen Regeln der Sprachlehre dasselbe durch die Zusammenziehung verlieren sollten. Z. B. Verzweifelung für Verzweiflung.

Anmerkung. Elisionen, Verkürzungen und Erweiterungen sollen immer Wohllaut und Ausdruck befördern, nicht aber bloß Bequemlichkeit zum Grunde haben, und das Gegentheil bewirken.

Eigenheiten, die nur in einigen Versarten Platz haben, sind 1) der Gebrauch des Trochäus für den Spondeus, 2) der Abschnitt, 3) der männliche oder weibliche Schluß der Verse.

1) Die Armuth der Deutschen Sprache an Spondeen erlaubt den Trochäus in allen jenen Versarten zu gebrauchen, wo sonst das Metrum einen Spondeus fordert, nähmlich in den vier ersten Füßen des Hexameters, der ersten Hälfte des Pentameters, und in den lyrischen Versarten.

2) Der Abschnitt ist ein Ruhepunct, den man im Verse nach einigen Füßen setzt. Er ist nicht ganz einerley mit der Cäsur der Lateiner. Der Abschnitt fällt in den einfachen Versen (die aus einerley Füßen bestehen) nach dem Worte, welches zugleich den Fuß schließt, da die Cäsur den folgenden Fuß anfängt, wie beym Hexameter.

Da der Abschnitt ein Ruhepunct ist, so ist er nur in jenen Versen nöthig, die aus mehr als vier Füßen bestehen.

Die jetzt noch üblichen Versarten, in welchen der Abschnitt vorkommt, sind der fünf- und vorzüglich der sechsfüßige Jambe.

In fünffüßigen Jamben ist der Abschnitt nicht schlechterdings nothwendig, ob er ihn gleich gewöhnlich haben soll; er kann ihn aber nach jedem Fuße haben, doch meistens nach dem 2ten oder 3ten. Nur soll er nicht in mehrern Versen nach einander in der nähmlichen Stelle vorkommen.

Nicht acht' ich den für groß, den Leidenschaft
Zum Guten wie zum Bösen wirbelnd reißt,
Und zeigten Riesenkraft auch seine Thaten.

Der Zufall ist sein Herr, er selbst ein Rohr,
Das hierhin dorthin jedem Winde schwankt.

Collin.

Die Abwechselung in den Abschnitten muß ein Dichter, der den Nahmen eines Künstlers verdienen will, immer mit Rücksicht auf Wohlklang und Ausdruck, nie nach Bequemlichkeit bestimmen. Die eigentlichen Cäsuren machen doch immer den Vers fließender, tönender, getragener.

Der sechsfüßige Jambe hat allezeit nach dem 3ten Fuße einen Abschnitt. Da aber der Abschnitt ein Ruhepunct für den Leser oder Declamator ist, so soll er nur selten nach einem Bindeworte, nach dem beziehenden Fürworte, dem Artikel oder Vorworte, oder vor dem einsylbigen Worte stehen, welches den Satz schließt, auch nicht zu oft zwischen das Beywort und Hauptwort gesetzt werden; weil man in allen diesen Fällen im Lesen nicht inne halten darf.

Willst du, daß Gott denn selbst die ewigen Gesetze,
Die er den Welten schuf, aus Gunst für dich verletze?
Soll, weil's ein Dichter wünscht, der zarte Leib ein Stein,
Ein Fieber ohne Wuth, Gift ohne Wirkung seyn?

Haller.

Die neuesten Dichter bilden nach Art der alten Trimeter sechsfüßige Jamben mit wechselnden Abschnitten, und mit Einmischung anderer Wortfüße

Halt ein, Furchtbare! Nicht den Unvertheidigten
Durchbohre! Weggeworfen hab' ich Schwert und Schild!
Zu deinen Füßen sink' ich wehrlos flehend hin,
Laß mir das Licht des Lebens! nimm ein Lösegeld!

Schiller.

Die ermüdenden achtfüßigen Jamben und schwerfälligen Trochäen, welche nach dem 4ten Fuße den Abschnitt haben, sind nicht mehr üblich, sondern man trennt sie in zwey vierfüßige.

3) Männlicher und weiblicher Ausgang der Verse. Bey den jambischen und trochäischen Versarten gibt es Verse mit männlichem Schluße, wenn der Vers mit einer langen Sylbe, mit weiblichem, wenn er mit einer kurzen Sylbe sich endiget. Die kurze Endsylbe wird bey der Abzählung der Füße nicht in Anschlag gebracht.

§. III.

Versarten.

Die Deutsche Dichtkunst hat Versarten, die der Lateinischen entweder ganz oder doch in der Form, wie sie bey unsern Dichtern vorkommen, fremd sind. Von der ersten Art sind die amphibrachischen und daktylischen Verse. Von der zweyten Art sind die 2, 3, 5füßigen jambischen und trochäischen, dann die Sapphischen Verse.

Der amphibrachische Vers hat seinen Nahmen von dem Fuße, der darin herrschet. Man hat deren von 2, 3 und 4 Amphibrachen mit männlichem und weiblichem Ausgange. Die männlichen haben am Ende statt des Amphibrachys einen Jamben. Z. B.

Mit zwey Amphibrachen.

Willkommen im Grünen!
Der Himmel ist blau,
Und blumig die Au!
Der Lenz ist erschienen!
Er spiegelt sich hell
Am luftigen Quell,
Im Grünen!

Voß.

Mit drey Amphibrachen.

Der Nachtigall reitzende Lieder
Ertönen, und locken schon wieder
Die fröhlichen Stunden in's Jahr,
Nun singet die steigende Lerche,
Nun klappern die reisenden Störche
Nun schwatzet der gaukelnde Staar,

Hagedorn.

Der daktylische Vers besteht aus zwey oder drey Daktylen, zu denen er am Ende eine lange Sylbe oder einen Trochäus nimmt,

Reich' ihm die Schale!
Schenke dem Dichter,
Hebe, nur ein!
Netz' ihm die Augen mit himmlischen Thaue,
Daß er den Styx, den verhaßten nicht schaue,
Einer der Unsern sich dünke zu seyn.

Schiller.

Oft fangen auch daktylische Verse mit Trochäen oder Spondeen an.

Denn die Unsterblichen lieben der Menschen
Weit verbreitete gute Geschlechter,
Und sie fristen das flüchtige Leben
Gerne dem Sterblichen; wollen ihm gerne
Ihres eignen ewigen Himmels
Mitgenießendes, fröhliches Anschaun
Eine Weile gönnen und lassen.

Göthe.

Jambische Verse von zwey Füßen.

Was weinen wir
Am Grabe hier? —
Bald flieht, wie Schaum,
Des Lebens Traum.

Voß.

Jambische Verse von drey Füßen.

Die düstre Nacht ist hin,
Die Sonne kehret wieder.
Ermuntre dich mein Sinn,
Und dichte Freudenlieder.

Uz.

Jambische Verse von vier Füßen.

Gott! Himmel zittern deiner Macht,
Und Sonnen fliehn vor deiner Pracht,
Du Gott der Allmacht und der Ehre!
Dich loben aller Himmel Heere;
Und Land und Meere stimmen ein,
Und Alles, Alles freut sich dein.

Voß.

Jambische Verse von fünf Füßen.

O weh der Lüge! sie befreyet nicht
Wie jedes andre wahrgesprochne Wort
Die Brust; sie macht uns nicht getrost, sie ängstet
Den, der sie heimlich schmiedet, und sie kehrt,
Ein losgedrückter Pfeil, von einem Gotte
Gewendet, und versagend, sich zurück,
Und trifft den Schützen.

Göthe.

Trochäische Verse von zwey Füßen.

Aus den Büschen,
Mit den Düften,
Mit den frischen
Kühlen Lüften
Naht die Freude.

Göthe.

Trochäische Verse von drey Füßen

Grüner wird die Au,
Und der Himmel blau:
Schwalben kehren wieder,
Und die Erstlingslieder

Kleiner Vögelein
Zwitschern durch den Hain.

Hölty.

Trochäische Verse von vier Füßen.

Mit des Jubels Donnerschlägen
Gab die Wolke Gottessegen,
Und der Fluren Opferduft
Wallet lieblich durch die Luft.

Voß.

Trochäische Verse von fünf Füßen.

Eingewiegt von Nachtigallen-Tönen
Schlummert sie, die Königinn der Schönen.
Frischer grünt der Thron der Königinn;
Weste wehn ihr Mayendüfte hin.

Voß.

Sapphische Verse.

Der Sapphische Vers hat bey den Römern nach der fünften Sylbe einen Abschnitt, worauf zwey kurze Sylben folgen. Dieß ist für die deutsche Sprache eine schwere Aufgabe, welche gleich arm an Spondeen, wie an Wörtern ist, die mit zwey kurzen Sylben anfangen. Die deutschen Dichter erfanden daher ein neues Sapphisches Metrum, welches dem römischen an Rhythmus ziemlich nahe kommt. Es ist folgendes:

— ⏑ ⏑	— ⏑	— ⏑	— ⏑	— ⏓
— ⏑	— ⏑ ⏑	— ⏑	— ⏑	— ⏓
— ⏑	— ⏑	— ⏑ ⏑	— ⏑	— ⏓
			— ⏑ ⏑	— ⏓

Wenn von dem Sturm nicht mehr die Eich' hier rauschet,
Keine Lispel mehr wehn von dieser Weide:
Dann sind Lieder noch, die vom Herzen kamen,
Singen zu Herzen.

Klopstock.

Hierzu gehören die von den neuesten Dichtern den Italienern und Spaniern nachgebildeten Sonnete, Madrigale, Terzinen.

CAPUT VII.

De aliis styli divisionibus.

Stylus tam prosaicus quam poëticus dividi plerumque solet in *simplicem*, *sublimem* et *medium*.

Stylus *simplex* est ea scribendi aut loquendi ratio, qua homines cultiores plerumque utuntur.

Convenit rebus tenuibus et iis scriptionibus, quarum unicus aut praecipuus finis est docere.

Stylus hic tropis et figuris, universe iis, quae ad ornandum pertinent, parcissime et cum multa verecundia utitur.

Regnat hic stylus in libris ad docendum et erudiendum pertinentibus, atque in plerisque historicis et comicis.

Stylus *sublimis* rem in se magnam, aut magnos et excelsos animi sensus exponit, ad excitandam admirationem et venerationem.

Stylus hic utitur saepe figuris vehementissimis, tropis et similitudinibus audacibus cet. v. c.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis;
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis. Hor. *Carm. lyr. III.* 1. *v.* 5—8.

So stehet ein Berg Gottes,
Den Fuß in Ungewittern,
Das Haupt in Sonnenstrahlen,
So steht der Held aus Kanaan.

Ramler.

Res vero adeo magnae, ut earum magnitudo primo intuitu in oculos incurrat, simplicissimis verbis efferuntur. Sic illud Alexandri ad legatos Darii apud Curtium. L. IV. *c.* 11. *Bellum cum captivis et feminis gerere non soleo. Armatus sit oportet, quem oderim.* Et illud Caesaris ad pavidum nautam: *Caesarem vehis.* —

Gott sprach: **Es werde Licht! und es ward Licht. Buch Genesis.**

Du winkst, Allmächtiger, wenn hier dem Baum
Ein Blüthenblatt entweht:
Du winkst, wenn dort im ungemeßnen Raum
Ein Welt-System vergeht.

Matthisson.

Stylus medius neque tenuitate ad simplicem deprimitur, neque majestate ad sublimem adtollitur, sed inter utrumque medius procurrit. Conveniunt huic omnia orationis ornamenta, unde et *ornatus* dicitur. Regnat praecipue in orationibus et plerisque operibus poëticis. Exempla ubivis obvia.

Occurrunt et aliae styli divisiones, quarum denominationes nosse sufficit.

Stylus Atticus, qui brevitatem; *Asiaticus*, qui copiam et verborum redundantiam in deliciis habet; *Rhodius*, qui medium tenet inter utrumque. *Laconici* styli exemplum laudatur illud responsum Lacedaemoniorum Philippo, Macedoniae regi, bellum minitanti: *Dionysius Corinthi.*

CAPUT VIII.

De styli praesidiis.

Styli praesidia sunt tria; *lectio*, *exercitatio in scribendo et dicendo*, *imitatio optimorum scriptorum.*

Primum et praecipuum styli formandi subsidium est *lectio optimorum scriptorum*, tam qui sermone latino, quam qui patrio scripserunt.

Haec lectio, ut optatos fructus ferat, debet esse:

1) *frequens* et *adsidua*, quia, nisi multa legerimus, neque materiam seu cogitatus, neque formam seu vocabula, quae ad bene scribendum pertinent, discere aut colligere possumus.

2) Lectio debet esse *adcurata*, ut et singula cogitata et singula verba plane intelligamus. In quem finem oportet contextum totius loci consulere, examinare sententias, utrum verae sint nec ne; examinare vocabula,

propriane sint an tropica, denique nexum idearum, et periodorum investigare.

Haec lectio dicitur *stataria.* Cum hac autem conjungenda est, quae *cursoria* dicitur, quae celerius progreditur, eoque consilio suscipitur, ut multarum rerum cognitione instruamur.

Quum ad formandum stylum frequens et adcurata lectio sit necessaria, lectio *scholastica* sola, nisi multa accedat lectio *domestica*, sufficere non potest.

Ut vero lectio *domestica* felicior sit, utendum est:

1) bonis editionibus, quae mendis carent, et quibus vel notae philologicae, vel bona versio addita est, ita tamen, ut non illico ad notas vel versionem confugiamus, id quod in locis solum difficilioribus fiat, sed prius ipsi auctorem intelligere conemur.

2) opus est bono lexico, quod significatum proprium et translatum adcurate doceat.

3) consulenda est historia et geographia vetus, nec non cognitio paranda est antiquitatum et mythologiae, sine quarum cognitione multa omnino intelligi non possunt.

Alterum formandi styli subsidium est *exercitatio* frequens et sedula *in scribendo et dicendo*: Stylus enim, ut Cicero de Orat. ait, est optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister.

Ut facilitatem quandam in latine scribendo nobis comparemus, exercitatio duplex est necessaria.

Prima consistit in tranferendis quam plurimis e sermone patrio in latinum.

Ne tamen stylus per ejusmodi exercitationem potius depravetur, quam perficiatur, duce opus est, qui viam in Latium ostendat, et quasi manu ducat.

Altera exercitatio in latine scribendo est, quum thema aliquod, propositum et explicatum, elaboramus et amplificamus.

Quoniam vero in terris austriacis non solum latine scribendi, sed loquendi necessitas saepe adest: accedere etiam debet exercitatio in dicendo seu latine loquendo: semper et ubique quidem, praecipue tamen coram iis, qui errantes corrigere possunt.

Tertium styli formandi subsidium est *imitatio*.

Est vero *imitatio* facultas, stylum et ideam alicujus auctoris sine plagii suspicione exprimendi.

Duplex a praeceptoribus constituitur, *puerilis* et *mascula*.

Puerilis occupatur verbis, loquendi formulis, periodorum structura cet. Mutuatur igitur

1) phrases ex auctore, quas ad explicanda cogitata sua transfert, vel

2) sententiam alicujus auctoris aliis verbis effert. e. g. *Laudari a laudato viro pulchrum est*, ita aliis verbis efferri possit: *Laudari ab iis, qui ipsi sunt laude dignissimi, is vero fructus laudandarum actionum est pulcherrimus.* Vel

3) sententiam alicujus auctoris aut detractis circumstantiis constringit, aut additis extendit. e. g. *Omnibus potest evenire, quod uni, dubitas, quin tibi etiam possit?* Quae sententia addita circumstantia causae ita extendi potest: *Quum et naturam habeamus eandem, et iisdem calamitatum importunitatibus vita nostra sit exposita, neque quisquam ad id fastigium pervenerit, quo fortunae tela aut hominum injuriae non possint pervenire: quid est, quod ita vivis, quasi privilegio quodam ab his liber sis, quae ad omnes pertinent?* Vel

4) periodis propositis alias similes effingit, utendo iisdem particulis, eodem genere, ordine et numero enuntiationum. v. c. Ciceronis periodum: *pro A. Caecina I. Si, quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque judiciis impudentia valeret; non minus nunc in causa cederet A. Caecina L. Aebutii impudentiae, quam tum in vi facienda cessit audaciae* — ita forte imitari lice-

bit: *Si, quantum regibus confidere solemus, tantum fiduciae in Deo collocaremus: haud dubie, quo magis nos mala premerent, eo minus desperandum putaremus.*

Imitatio *mascula* imitatur ideam auctoris; h. e. vel *inventionem*, vel *dispositionem*, vel *eloquutionem*.

Inventionem imitamur, si similia cum auctore proposito argumenta ad thema nostrum stabiliendum adhibemus, vel si eandem rationem motuum excitandorum inimus. e. g. Plinius *L. I. ep.* 3. laudat Caninii Rufi praedia, et recte his utendum esse monet. Rectum vero usum non solum in curanda re domestica, sed in eo potius consistere docet, ut praedium sit portus quidam studiorum. Hoc patheticum Plinii imitamur, quum, laudaturi alicujus divitias, dicimus, eum divitiis recte uti, quum non acervos congreget, sed indigentibus succurrat.

Dispositionem auctoris imitamur duplici modo: vel imitamur totum aliquod opus, vel aliquas tantum partes operis e. c. Cicero laudat Pompejum optimum imperatorem, quia in Pompejo est *scientia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas.* Si eodem modo laudaveris administrum reipublicae, dicendo in ipso esse *profundam politices cognitionem, indefessam pro salute publica vigilantiam, magnam apud exteros existimationem, et eventus consiliorum felices semper fuisse*, imitatus es totum opus Ciceronis.

Eodem modo et partes imitamur.

Eloquutionem auctoris imitamur, si omnem orationis illius habitum et characterem effingere conabimur.

Quis autem in tanta praestantium scriptorum copia praecipue imitandus sit, haud facile est definire. Universe optimus quisque imitationi proponendus: primus autem censendus est, qui in eo scriptionis genere, in quo versamur, excellit, simulque ingenio nostro adcommodatissimus est.

Verum praeter hunc unum, cui penitus exprimendo intenti simus, plures alios probatos legere oportet, ut et rerum et verborum copia instruamur.

PARS II.

De Scriptionum generibus.

In tractandis scriptionum generibus hunc ordinem sequimur, ut a facilioribus ad graviora, sive prosaica sive poëtica, progrediamur.

De Narratione.

A. Narratio hiftorica.

Narratio est *graphica facti alicujus, seu rei gestae expositio.* Dividitur narratio in narrationem *historicam* et *poëticam.*

Narratio historica exponit rem gestam, uti gesta est, et quo ordine gesta est.

Dotes narrationis historicae sunt:

I. Perspicuitas, II. Brevitas. III. Suavitas.

I. *Perspicua* est narratio, quae rem gestam ita narrat, ut lector vel auditor eam non modo possit, sed etiam debeat intelligere.

Ad quod requiritur; 1) *integritas* actionis et 2) observatio *ordinis* in narrando.

Integritas actionis petit, ut actio sit tota; hoc est, ut habeat initium, medium et finem.

Per initium intelligimus causas et consilia actionis suscipiendae.

Per medium causarum effectus et difficultates effectis oppositas.

Per finem difficultatum solutionem et actionis eventum

In narranda actione servandus est *ordo.* Est vero ordo duplex: *historicus* et *poëticus.*

Historicus ordo seu naturalis incipit a consiliis actionis et exponit rem ea temporis et actionum successione, qua vel gestae sunt, vel geri solent.

Ordo poëticus seu artificialis a media actione orditur, et auditorem in medias res, haud secus ac notas, abripit; et quae praecesserunt, commodo tempore exponit. Sic Virgilius narrationem suam incipit ab Aeneae navigatione e Sicilia in Italiam; quae praecesserunt, v. c. excidium Trojae, itinera cet. exponit libro secundo et tertio, inducens Aeneam haec omnia Didoni narrantem.

II. *Brevitas* narrationis postulat, ut quaecumque ad rem intelligendam nihil conferunt, omittantur. Hinc

1) Narrationis initium non justo altius repetere oportet: in exponendis vero actionis circumstantiis electione opus est, ne minima quaeque, quae mentem a re principali avertunt, exponantur.

2) Ea de causa digressiones, praecipue longiores, sunt vitandae.

3) Meditationes, quae vulgo, nomine barbaro, *reflexiones philosophicae* dicuntur, sint rarae, et, si immisceantur, firmae sint, nec vulgares et tritae. Narratio enim ex natura sua ad mentem illustrandam facta est; mens autem indagando vero occupata minus apta est ad operationes imaginationis.

Cavendum tamen, ne brevitatis studio narratio in obscuritatem delabatur.

Brevitas, quae perspicuitatis causa omnia superflua praecidenda praecipit, (quia, quidquid claritatem non adjuvat, claritati obest), non negligit ea, quae ad rem intelligendam aut necessaria, aut idonea sunt. Perspicuitas enim postulat, ut non tantum, *quid* actum sit, sed etiam *quomodo* actum sit, intelligamus.

Omnes igitur circumstantiae personarum, loci, temporis, quae ad rem facere videntur, exponendae sunt. Nonnunquam tamen adjuncti unius, sed exstantioris, justa tractatio perspicuitatem magis adjuvat, quam si plura eorum inducantur.

III. *Suavitas* narrationis postulat, ut narratio teneat animos.

Tenet vero narratio animos 1) argumenti gravitate, 2) ejusdem tractatione: seu narrandi modo.

Ad animos *tenendos* necessaria est argumenti gravitas, quia res levis non est apta ad animi motus excitandos. Hinc in narratione rei gravitas ita exponi debet, ut animos feriat.

Itaque quo majores sunt causae et effectus actionis, quo majores his oppositae difficultates, quo illustriores personae agentes, quo latius actionis effectus ad commune vel plurimorum sive bonum sive malum sese exserunt, quo majores et insolentiores, minusque exspectatae mutationes, et difficultatum solutiones sunt; eo major futura est lectoris attentio.

Argumenti gravitas suffulcienda est ejusdem *tractatione*, seu narrandi modo.

Excitabit vero *tractatio* attentionem studiumque lectoris: a) Si omnia quidem scitu aut necessaria aut digna ordine dilucido videque exponit, minuta tamen omittit, aut saltem non fusius tractat, sed lectori cogitanda et supplenda relinquit.

b) Si per insolitum et inexspectatum narrationis tenorem animos percellit.

c) Si per narrationem, quam dicunt dramaticam, rem quasi spectandam lectori exhibet; hoc est, si scriptor non semper ex persona sua narrat, sed, quantum quidem fieri potest, personas agentes et loquentes inducit, ut res quasi coram agi videatur.

d) Si ea, quae dramatice exhiberi non possunt, per vividas descriptiones ita depinguntur, ut lector ea oculis quasi usurpet.

Narratio *historica* est vel *simplex*, vel *pragmatica*.

Simplex est: quum res ordine, quo gesta est, simpliciter narratur, non additis causis aut judiciis seu meditationibus. Talis est narratio Caesaris et plerumque etiam Nepotis.

Pragmatica est, quum res a primis initiis repetitur, et, cur ita facta sit, nec aliter fieri potuerit, exponitur. Adduntur

item judicia de rei natura, de causis, de moribus populi, aut viris, quorum opera actio impedita vel perfecta est. Tales sunt maximam partem narrationes Sallustii, Livii et Taciti.

Ad narrationem historicam refertur narratio *oratoria*, quae apud Graecos et Romanos, apud quos judicia penes populum erant, plurimum dominabatur. Namque in accusationibus et defensionibus expositio adcuratior facti per narrationem erat necessaria, ut ita de actionis indole et natura, ac proinde de reo vel absolvendo vel condemnando certius judicium ferre possent.

Oratores pro fine, quem sibi praefixum habuerunt, actionem ita narrabant, ut illas circumstantias, quas causae suae officere posse viderunt, aut omnino omitterent, aut obtegerent: contra vero illas, quas sibi proferre putarunt, extollerent, et amplissime exornarent. Sic Cicero in narratione de Milone et Clodio, quae est narrationis oratoriae exemplar perfectissimum, prudenter omittit, a Milone, qui insidias sibi strui a Clodio sciebat, gladiatores, qui ipsum in itinere comitarentur, fuisse conductos.

Stylus narrationis plerumque est medius, in re vero tenui, simplex.

B. Narratio poëtica.

Narratio poëtica exponit etiam actionem, quae aut gesta est, aut geri potuit, sed oratione quam maxime *sènsili.*

Finis illius saepe doctrina multiplex, saepe sola delectatio, saepe excitatio affectuum socialium, saepe vivida rei descriptio.

Ratione argumenti, simulque ratione modi, quo illud tractatur, narratio poëtica in *seriam* dividitur et *comicam.*

Illa ad movendum aut docendum tota composita est: haec hilaritatem et dicacitatem spirat, quam vel ex personis agentibus, vel ex actione ipsa, vel ejusdem tractatione induit. Nonnunquam enim actio gravis est, et oratio co-

mica; vel contra, actio comica oratione gravi proponitur, unde ridiculum et delectatio lectoris oritur.

Praeter dotes narrationi historicae necessarias *verisimilitudinem* quoque habeat narratio poëtica, quae in eo consistit, ut nihil contineat, quod cum actione ipsa, aut cum adjunctis locorum, temporum, aut characteribus personarum agentium adversa fronte pugnet. Id quod in narrandis actionibus fictis, seu iis, quae geri potuerunt, probe attendendum est. In narrandis vero rebus vere gestis, quaecumque adjuncta ad finem propositum nil conferunt, aut eidem plane contraria sunt, ea omittuntur, eorumque loco alia aptiora adfinguntur.

Ornatum poëticum huic narrationi conciliant vividae, venustaeque similitudines, imagines, praecipue vero descriptiones tam actionis primariae, quam singularium adjunctorum loci, temporis, personarum, characterum, cet.

Formandis quoque *moribus* utilis sit narratio, quod fit: a) si tam actio ipsa, quam personae agentes ad virtutem tamquam scopum tendunt, b) si meditationes, quae innuantur potius quam explicentur, loco opportuno et cum delectu immiscentur.

Versus huic carmini proprius apud Romanos est hexameter: apud nostros versus jambicus dominatur.

E Romanis solus Ovidius narrationis poëticae exempla nobis reliquit, Metamorphoses nempe suas.

A Germanis magis excultum est hoc carminis genus. Praecipui in hoc genere sunt: Gellert, Hagedorn, Kleist, Wieland, Nicolai cet.

CAPUT II.

De Fabula Aesopica.

Fabulae nomine in poësi universe intelligitur, quidquid certo consilio fingitur; factum quodvis, seu verum, seu fic-

tum, cui tamquam fundamento carmen superstruitur. Hinc denominatio fabulae *epicae* et *dramaticae.*

Fabula Aesopica est narratio, qua sententia moralis ad casum specialem reducitur, qui revera accidisse fingitur; unde deinde actio aliqua componitur, e qua sententia moralis clare cognoscitur.

In fabula itaque Aesopica necessaria est actio, ut in quavis narratione.

Est autem *actio simplex* successio cohaerentium mutationum, quae simul sumtae totum aliquod, idque unum constituunt.

Dotes autem actionis hujus sunt: *Unitas, veritas, probabilitas.*

Unitas actionis petit, ut omnes partes ad unum finem tendant, totumque aliquod efficiant, ex quo sententia moralis, quam poëta lectores docere vult, facile intelligatur.

Ad unitatem actionis non necessario requiritur *integritas* actionis, seu ut actio fabulae habeat exitum et plenum eventum. Perspicuitas enim postulat, ut actio fabulae non ulterius progrediatur, quam ad intelligendam veritatem necessarium est. v. c. In illa Phaedri fabula: *Lib. I.* 10. *Lupus et vulpes judice simio:* vel in illa Aesopi *de sene et morte*, actio non est finita, quia non dicitur, quid porro factum sit, fueritne mors responso senis contenta nec ne; sed veritas moralis: *omnem hominem, utut pauperem et infelicem, vitae amantem esse*, ex narrata actionis parte intelligitur.

Veritas actionis postulat, ut actio non tantum fieri potuisse, sed revera peracta fuisse ponatur, et res, quasi vere facta, narretur.

Probabilitas fabulae consistit in verisimilitudine, seu in convenientia actionis cum charactere personarum agentium, ceterisque circumstantiis.

Contra hanc probabilitatem summi etiam poëtae non raro peccarunt, v. c. *Canis ab ove frumentum petens. Phaedri, Lib. I.* 17. Quis enim usus frumenti cani? et unde

frumentum habeat ovis? Vel *vacca, capella et ovis (Phaedri, Lib. I. 5.)* quae carnibus non vescuntur, quomodo leonis socii in venatione esse possunt?

Proprietates fabulae sunt: *brevitas* et *simplicitas.*

Quoniam fabula est opus didacticum, ex natura sua *brevis* esse debet, ut praeceptum morale facile percipiatur, et teneatur.

Ex eodem capite, perspicuitatis scilicet causa, requiritur *simplicitas*, ut nullae circumstantiae inducantur, quae ad percipiendam veritatem nihil conferunt, et ut omni ornatu, qui claritati cognitionis officit, careat.

Personae agentes in fabula Aesopica sunt non solum homines, dii et genii, sed longe crebrius bruta, nonnunquam et res inanimae, quibus, jure poëtis dudum concesso, ratio et loquendi facultas tribuitur.

Usus brutorum in fabulis id utilitatis poëtae adfert, ut describendis eorum characteribus supersedere possit, quum et in vulgus noti sint, eodemque se modo semper exserant. Qua re brevitas narrationis adjuvatur.

Doctrina fabulae sententiam contineat planam et per se in oculos incurrentem, non tamen vulgarem et quotidianam, quam non sit operae pretium ope fabulae oculis subjicere.

Recepta fabularum divisio est in *rationales*, *morales* et *mixtas.*

Rationalis est, quae narrat factum singulare, quod simpliciter fieri potest, ut: quum personis veris, sive ratione praeditis sive carentibus, tribuitur actio eorum naturae conveniens. v. c. *Galli pugnantes.*

Moralis est, quum factum universe sub conditione fieri potest, ut: quum brutis rationem, inanimis vitam et sensum, rebus abstractis v. c. vitiis, virtutibus, item diis veterum personam tribuimus. Tales sunt, *Agnus et lupus, Arbores in deorum tutela*, cet.

Mixta est, quum agentes utriusque speciei ad actionem unam concurrunt. v. c. *Senex et mors. Pastor et canis, Jupiter et equus.*

Alia divisio fabulárum est in *simplices* et *compositas*.

Simplex dicitur, quum *unum* factum refertur, e quo continuo veritas moralis deducitur. Tales sunt pleraeque Phaedri.

Compositae factum est *duplex* unum plerumque fictum, alterum verum, sed utrumque eandem sententiam moralem spectandam exhibet. Talis est illa Menenii Agrippae *de discordia ventris ceterorumque humani corporis membrorum* ad plebem romanam, quae secesserat a Patribus, ut concordiam ubique necessariam doceret, vel fabula Hagedorni: Der Berg und der Poet.

Anima fabulae est *veritas moralis*, quae apta sit ad vitam et mores informandos et facilis intellectu.

Veritas moralis vel ponitur a principio instar thesis, quae per sequentem fabulam confirmatur, et dicitur *Praefabulatio*, προμυθιον; vel fabulae subjungitur conclusionis instar, et dicitur *Adfabulatio*, ἐπιμυθιον: vel, si veritas adeo aperta est, ut ex ipsa actione non possit non intelligi, plane omittitur.

Exercitatio in fabulis inveniendis utilissima est ad mentem perficiendam.

Omnis autem fabulae inventio posita est in reductione veritatis moralis ad casum aliquem specialem, ex cujus narratione haec veritas eluceat.

Quoniam vero haec reductio difficilior est, propterea, quod plurimarum rerum cognitione opus habet: juvabit in rem nostram fabulam aliquam auctoris immutare. Poterit vero haec immutatio quatuor modis fieri:

1) Quum actionem fabulae praecidimus, ejusdemque tantum partem narramus.

2) Quum actionem longius prosequimur et continuamus.

3) Quum circumstantiam actionis aliquam immutamus.

4) Quum ex una solum actionis circumstantia fabulam novam construimus. Res exemplis fiat clarior.

Exemplo sit

a) fabula Phaedri *de leone et asino venantibus. Phaedri Lib. I.* 11. Leo cum asino inita societate venabatur,

Hic praecidimus actionem fabulae. Asinus hac societate elatus, contemnit suos. Verum aliquis eorum illi respondet: asinum et in leonis societate esse asinum.

b) *Graculus superbus et pavo. Phaedri Lib. I.* 3. Huic aesopicae fabulae addi potest, graculum tandem etiam suis privatum fuisse plumis; quod et hae alienae esse videbantur. Sic plagiarius repertus, etiam in iis, quae eidem propria sunt, plagii reus habetur.

c) *Vulpes et corvus. Phaedri Lib. I.* 13. Huic fabulae addi poterit haec circumstantia: carnem fuisse veneno infectam.

d) *Lupi faucibus os inhaeserat. Phaedri Lib. I.* 8. Ex una hac circumstantia fiat fabula. Tum temporis oves infestare cessabat, sed quamdiu? laudine hoc, quod necessitate coactus intermiserat, ducere sibi poterit?

Fabulae scribuntur vel oratione soluta vel versu jambico.

Praecipui scriptores apud Graecos Aesopus, apud Romanos Phaedrus; apud Germanos: Lessing, Pfeffel, Gellert, Hagedorn, Lichtwer, cet.

CAPUT III.

De Epistolis.

A. De epistola prosaica.

Epistola est *sermonis vicaria, seu sermo scriptus ad absentem.* Loquimur vero vel cum familiaribus et amicis de rebus obviis, vel cum superioribus aut amplo munere fungentibus de materia quadam definita. Hinc etiam duo sunt summa genera epistolarum: epistolae *familiares* et *elaboratae.*

De epistolis *familiaribus* scribendis praecepta tradere supervacaneum est, eodem enim modo cum absentibus, quam cum praesentibus, loqui possumus.

Delectus tamen verborum, et *ordo* curatior esse debet in epistolis, quam in sermone. Sermo enim mox evanescit, at epistola saepius perlegi, vel etiam aliis ostendi

potest: et omnino in epistolis plus diligentiae exspectatur, quam in sermone cum praesentibus. Ornamenta vero oratoria, figurae cet. absint; quia epistola propior est sermoni quotidiano, quam orationi.

Epistolae elaboratae sunt, quae vel ad viros amplos scribuntur gratulandi, petendi cet. causa, vel unum aliquod thema adcuratius tractant; uti sunt epistolae Senecae.

In epistolis elaborandis oportet nos esse sollicitos

1) de argumentis ad stabiliendam propositionem idoneis, quae potius firma, quam multa esse decet: pro re nata etiam de amplificatione per illustrationes a simili, testimonio cet. Vide epistolam consolatoriam Sulpicii ad Ciceronem de morte Tulliae filiae.

2) Tum cogitandum erit, unde incipere oporteat: modo enim juvabit a re ipsa ordiri, modo per ambages ad rem perveniendum erit, v. c. quum tractamus rem, quae cautionem postulat, vel quum aliquid petimus, quod videtur difficile impetratu.

Dotes styli epistolici sunt: *humanitas* et *observantia*.

Humanitas petit

1) perspicuitatem, ut ab eo, ad quem scribimus, facile intelligamur.

Nota. In epistolis familiaribus multa scribi possunt, quae, quamvis aliis obscura, illi tamen, cui haec scribuntur, maxime perspicua sunt. Cicero v. c. in epistolis ad Atticum multis in locis subobscurus est nobis, minime vero Attico.

2) ut modeste de nobis sentiamus et loquamur.

3) ut, si quid petimus, addamus conditiones, *si fieri possit*, vel *si digni simus* cet. aut si quid recusamus, ut nos invitos facere addamus, et cur recusare cogamur.

Observantia erga superiores nunquam negligenda est. Petit haec observantia

1) brevitatem, quum ad superiores scribimus, ne prolixitate taedium cieamus aut oneri simus.

Nota. Minor hujus brevitatis cura est in epistolis familiaribus ad amicos, qui non raro longiores et loquaciores epistolas amant.

2) ut consuetudini cedamus et honorum nomina quae titulos nominant, non latinius, ut ita dicam, exprimere

conemur. Hic enim non quaeritur, quam latine; sed quam observanter loquamur. Peccat profecto, qui hodie more romano scribit: *Tu Caesar velim* cet.

Formam epistolae *externam* quod attinet, recentiores a norma priscorum discedendum sibi putarunt, namque

α) epistolas non ab hac formula cum Cicerone: *Cicero Caesari salutem. Si vales, bene est, ego valeo*: sed praemisso titulo, ut in sermone patrio moris est, a re ipsa incipiunt.

β) epistolam non claudunt usitata priscis formula: *cura, ut valeas*; sed ejus loco nominis subscriptionem, cum amoris aut venerationis significatione adhibere solent, quae cum ipsa epistola jam cohaeret, jam absolute ponitur.

Ad epistolas elaboratas referuntur etiam *libelli supplices*, qui vulgo dicuntur *instantiae*.

In his, ex more in terris austriacis recepto, praemisso titulo, thema, seu res ipsa breviter, cum debita tamen observantia exponitur.

Tum adlegantur argumenta causam stabilientia, quae ordine indicari et exponi debent.

Praecipui epistolographi apud Romanos sunt: Cicero, C. Plinius Caecilius Secundus, L. Annaeus Seneca, Q. A. Symmachus, S. Apollinaris; e recentioribus Muretus, Manutius, Politianus, Sadoletus, Bembus, cet.

Apud Germanos, Gellert, Rabener, Garve, Lessing, Winkelmann, cet.

B. Epistola poëtica.

Epistola poëtica iisdem tenetur legibus ac prosaica, easdemque cum ea pertractat materias; modo tenuis, modo gravis est; non raro veritates etiam philosophicas exponit. Hinc epistola poëtica a prosaica non differt, nisi in stylo, qui, licet plerumque sit pedester, poëticus tamen est, ornamenta obvia non respuit, et pro rei gravitate non raro ad amplitudinem quandam attollitur.

Ornant praecipue stylum epistolicum grata sermonis mundities, sales, breves fabellae, narratiunculae et de-

scriptiones. In epistolis philosophicis, quales sunt Horatii, frequentiores sunt sententiae acutae, ceterum modus orationis potissimum jocosus cum austeritate dicaci.

Romani in thematis tenuioribus usi sunt versu hendecasyllabo; in ornatioribus elegico, in gravioribus hexametro. Nostris versus est familiaris.

Epistolas poëticas apud Romanos scripsere Horatius, Catullus, Ovidius — Pfeffel, Goekingk, Gotter, pluresque alii apud nos.

CAPUT IV.

De carmine didactico.

Carmen didacticum universe dicitur illud, *cujus finis primarius est docere, seu delectando docere.*

Veritates universales, principia aut praecepta artis vel scientiae *poëtice* tractantur, ut ita plus vigoris vimque majorem nanciscantur.

Duae sunt itaque carminis didactici species: *philosophicum et didacticum simpliciter sic dictum*, ad quod etiam *describens* referri potest.

1) *Philosophicum* est vel *morale*, quod praecepta morum aut variarum veritatum principia exponit; vel *physicum*, quod naturae, ejusque phaenomenorum explicationem continet. Tale est carmen Lucretii de natura rerum. Neubeck's Gesundbrunnen.

2) *Didacticum simpliciter sic dictum* vel decet regulas artis alicujus, ut Virgilii Georgica; vel naturae pulchritudinem et venustatem vividis coloribus depingit, praeceptis vitae morumque liberaliter inspersis, aut etiam pro scopo sumtis. Hujus generis sunt Kleistii Ver, Halleri Alpes.

Argumentum carminis didactici sit *unum*, h. e. veritates et praecepta, quae pertractantur, non sint hinc illinc avulsa et temere congesta, sed series veritatum aut regularum, quae naturali quodam nexu inter se devinctae sint, atque ad unum scopum tendant.

Dotes carminis ex fine, qui est docere, innotescunt suntque *perspicuitas*, *brevitas*, *varietas*.

1) *Perspicuitas* petit, ut in argumento tractando ordo naturalis observetur.

2) *Brevitas* in docendo quam maxime necessaria est, quia praecepta, quo breviora, eo altius penetrant et diutius haerent.

3) *Varietas*, ut taedio et satietati occurratur, quae ex praeceptis alioquin siccis et aridis plerumque oriri solet. Hinc poëtae didactici jam epicam, jam dramaticam formam adhibere solent, et ariditatem doctrinae aptis episodiis, descriptionibus, similitudinibus cet. animant.

Stylus carminis didactici in tractando argumento primario simplex esse debet; figurae itaque vehementiores et affectus, qui claritati cognitionis obstant, ibi locum non habent; recte vero in episodiis aliisque exornationibus adhibentur, quae delectationem lectoris spectant.

Versus carmini didactico proprius est apud Romanos hexameter, apud Germanos iambicus, et hexameter.

Scripsere poëmata didactica inter Romanos Virgilius et Lucretius; apud nos, Haller, Kleist, Uz, Wieland, Kroneg, Lessing, Lichtwer, Hagedorn, Zachariae, Neubeck, Tiedge, cet.

C A P U T V.

D e S a t y r a.

Satyra est carmen, quo scelera hominum et vitia, quatenus damnosa sunt aut ridicula, depinguntur, hoc consilio, ut illa plectantur et in odium adducantur, haec risui et ludibrio exponantur, atque ita corrigantur.

Duae proinde sunt satyrarum species, una *vehemens est et severa*, altera *placida et salsa*, verbo: *tragica et comica*.

Tragica illa dicitur, quae scelera et flagitia hominum adgreditur, turpem et detestabilem eorum faciem depingit,

et severe graviterque ea castigat. Hujus generis sunt satyrae Juvenalis.

Satyra comica vitia leviora, et quidquid in morem et decorem peccatur, describit, ridetque festive et salse. Tales sunt pleraeque Horatii.

Inter scelera et vitia ea praecipuam satyrae *materiam* constituunt, quae aut in societate humana, aut in certa civitate, certo hominum ordine aut aetate dominantur.

Finis satyrae est vitiorum odium et virtutis amorem excitare, atque ita vitam moresque hominum emendare.

Quare satyrarum scriptor diligenter caveat, ne

1) insectando vitia homines ipsos adgrediatur, memor legis, quam Martialis sibi scripserat: *Lib. X. epigr.* 33.

Hunc servare modum nostri didicere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Id enim parit animorum exacerbationem, emendationi contrariam. Scripta ejusmodi (libelli famosi, vulgo *Pasquille* dicuntur) homine ingenuo indignissima sunt. Quapropter scelera castigatione, et vitia risu digna spectanda proponuntur, vel in personis fictis vel etiam veris, sed tempore longe remotis, et ob vitia aut scelera notis et infamibus.

2) ne vitia omnino turpia, quae aures ingenuas offendant; narret aut plane depingat, unde potius depravatio quam emendatio sequatur. Si fors turpia scelera castigare poëta velit, aut debeat, illa potius innuat, quam depingat, et tum severe perstringat.

3) ne unquam vitia corporis aut animi naturalia, v. c. stupiditatem mentis, aut aliquam corporis deformitatem rideat, quod inhumanum est: ea enim deponere non in hominis potestate est.

Stylus satyrae seriae seu *tragicae* vehemens est et ornatus; *comicae* facetus, placidus, pedester, qui per breves narratiunculas, fabellas, descriptiones, dialogismos, leporem sermonis et acrimoniam induit, et per sales festive ridet.

Forma satyrarum diversissima est: modo enim formam epistolae, modo dialogi, plerumque tamen narrationis habent.

Versus satyris proprius apud Romanos est hexameter; apud nostros hexameter, iambus, et oratio prosa.

Praecipui satyrarum scriptores sunt: apud Romanos, Horatius, Juvenalis, Persius; apud Germanos, Haller, Rabener, Canitz, Hagedorn, Michaëlis, Falk, Stollberg, cet

CAPUT VI.

De Epigrammate.

Epigramma, ex vi nominis est *inscriptio*: quoad rem, Epigramma est *carmen breve, paucis versibus constans; quod aliquid vel solum indicat, vel aliquid simul indicat, simulque ex indicato aliquid cum argutia deducit.* Hinc epigramma duplex est: *simplex et compositum.*

Epigramma simplex, quod Graecis praecipue in deliciis erat, est carmen breve, quod aliquid solum indicat.

Hujus epigrammatis plurimae sunt species: modo est *didacticum*, quum morum praecepta tradit, modo *satyricum*, quum vitium vel scelus simpliciter mordet vel castigat; modo *idyllicum*, quum alicujus rei imaginem pingit, modo *tragicum*, quum ad tristitiam et commiserationem excitandam ordinatum est, uti sunt epitaphia pleraque; modo *lyricum*, quum vehementiores, modo *elegicum*, quum placidiores animi motus exprimit, cet.

In epigrammate simplici, quod omnem argutiam respuit, curanda est sermonis simplicitas cum majestate.

Ad epigramma simplex referuntur etiam *inscriptiones lapidares*: hinc stylus lapidaris, argutia instructus, vitiosus est.

Epigramma compositum est, quod aliquid indicat, et ex indicato aliquid inexspectatum cum argutia deducit. Sunt igitur partes epigrammatis compositi, de quo nobis proprie sermo est, et nostris Sinngedicht dicitur, duae: *expositio* et *clausula.*

Expositio, prior epigrammatis pars, debet totum et omne illud indicare, quod ad aliquid inde argute deducendum

necessarium est. Peccat igitur poëta, qui partem hujus expositionis in epigrammatis inscriptionem, vulgo titulum relegat. Inscriptio enim ad epigramma intelligendum non debet esse necessaria, sed simplicissima sit oportet. Tales sunt Martialis inscriptiones. e. g. *In Paullum. De Taide*, cet.

Clausula, pars epigrammatis posterior, ex indicato inexspectatum quid cum argutia deducit, quae argutia epigrammatis anima est, et in epigrammate composito unice spectatur.

Dotes epigrammatis, quae argutiam perspicuam reddere debent, continentur disticho:

> **Omne epigramma sit instar apis; sit aculeus illi,**
> **Sint sua mella, sit et corporis exigui.**

Sunt igitur ejusdem dotes: *brevitas*, *suavitas* et *argutia*.

Brevitas petit, ut epigramma omnino nihil contineat, quod ad argutiam intelligendam non sit necessarium, vel quod salva perspicuitate omitti possit. Ad hanc brevitatem requiritur etiam *unitas*, ut expositio unum tantum et simplex indicet, et argutiosa deductio non sit multiplex aut ambigua.

Suavitas, licet per versuum mollitiem adjuvetur, non tamen in eadem consistit; sed in nexu et congruentia clausulae cum expositione.

Argutia potissimum consistit in similitudine, vel dissimilitudine insolita et ficta, quae mentem inexspectato modo percellit.

Haec argutia se plerumque exserit sequentibus modis:

1) Quum lectoris animus suspensus tenetur, et tum aliquid aliud additur, quam quod exspectabatur. v. c.

> **Thais habet nigros, niveos Leucania dentes. —**
> **Quae ratio est? emtos haec habet, illa suos.**
> *Martialis. Lib. V. epigr.* 44.

2) Quum ea, quae inter se pugnare videntur, simul de eadem re adfirmantur v. c.

> **Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus:**
> **Quod vespillo facit, fecerat et medicus.** *Idem. Lib. I. epigr.* 40.

3) quum ea, quae necessario conjuncta esse videntur, a se invicem separantur.

Ad coenam Hermogenes mappam non attulit unquam:
A coena semper rettulit Hermogenes. *Martialis. Lib. XII, epigr.* 29.

4) Quum comparatio inexspectata, praecipue per antitheses, animum ferit v. c.

Pro meritis coelum tantis, Auguste, dederunt
Alcidae cito Di, sed tibi sero dabunt. *Idem. Lib. V. epigr* 60.

5) Quum lusus verborum, modo non sit frigidus, ad jocum et hilaritatem invitat v. c.

Esse nihil dicis, quidquid petis, improbe Cinna:
Si nil, Cinna, petis; nil tibi, Cinna, nego. *Idem.*

Lusus verborum frigidus est, qui in solis verborum sonis ita consistit, ut vocabula in alium sermonem translata omni argutia careant, v. c. Illud Martialis *Lib I. epigr.* 80.

Attale, ne, quod agas, desit, agas animam.

Forma epigrammatis jam epica est, jam dramatica.

Versus epigrammati proprius est apud Romanos vel elegicus, vel hexameter, vel hendecasyllabus, vel iambus, vel scazon; apud Germanos vel iambicus, vel elegicus.

Praecipui scriptores apud Romanos sunt Martialis, Catullus et Ausonius, quibus Anglus Owenus adnumerari meretur.

Apud Germanos Logau, Wernike, Kaestner, Lessing, Pfeffel, Kleist, Goeckingk, Ewald, Haug, cet.

CAPUT VII.

De Idylliis.

Idyllium ex vi nominis graeci est parva quaedam rei alicujus imago. Dicitur vero Idyllium *carmen, quod imaginem naturae humanae, curis et culpa vacuae, oratione vivida spectandam exhibet.*

Exhiberi autem ea potest vel in primitivo innocentiae statu hominum vitam nomadicam seu pastoritiam viventium, vel in hominibus ad altiorem culturae gradum jam

evectis. Hinc duae idyllii species *rusticum s. pastoritium* et *urbanum.*

Idyllium rusticum, quod etiam *carmen pastoritium* a pastoribus, et *bucolicum* a bubulcis dicitur, depingit naturam feliciorem, et simpliciorem, qualis hominum aetate aurea fuerat. Nihil tamen obstat, quo minus et actiones, vita, mores et affectus ruricolarum nostrae aetatis materia illius sint, quae si justa moderatione excolantur, ita ut ad integritatem illius aetatis prope accedant, tanto magis placebunt, animosque lectorum tenebunt.

Idyllium urbanum describit morum innocentiam, vitaeque non tam simplicitatem quam integritatem in hominibus jam cultioribus.

Materia idyllii est res omnis, cujus ea facies exhiberi potest, ut inde imago vitae culpis curisque vacuae, quam omnes adpetimus, oriatur.

Idyllii quidem rustici materia est vita rustica excultior, seu actiones, mores, affectus, sensus hominum rure viventium.

Idyllii vero urbani materia sunt actiones, affectus et consilia hominum extra rus degentium; nunquam tamen sublimes.

Forma idyllii est vel *epica*, quum poëta ipse narrat, ut in Virgilii ecloga secunda et quarta; vel *dramatica*, quum personae ipsae agentes et loquentes inducuntur: ut in Virgilii ecloga prima et quinta; vel *mixta*, quum poëta jam ipse narrat, jam personas loquentes inducit: ut in Virgilii ecloga sexta.

Personae agentes in idylliis rusticis sunt personae rusticae: pastores, venatores, cet.

Personae agentes in idylliis urbanis desumuntur ex urbibus, suntque homines cultiores, et scena actionis sunt urbes aut consessus hominum cultiorum.

Character personarum agentium in idylliis rusticis debet esse simplex, qui tranquillitatem et simplicitatem ruris elegantis, h. e. omissis sordibus et moribus crassis ubique red-

oleat; in idylliis urbanis character personarum elatior quidem, nunquam tamen celsus et sublimis aut tragicus sit oportet.

Oratio debet esse adcommodata personarum characteribus, nativa simplicitate elegans, et ab omnibus argutiis, quae cum pictura naturae innocentis pugnant, remotissima; sententiarum loco, quae neque personis humilibus, nec placidis animi motibus conveniunt, insperguntur in idyllio rustico proverbia et adagia.

Quodsi personae idyllii rustici aliquid rure majus proferant, fontem, ex quo illa hauserunt, postulante id verisimilitudine, indicare debent. Hinc etiam affectus personarum agentium nunquam possunt esse vehementes aut tragici, sed temperati, placidi, quamquam non semper hilares et jucundi.

Stylus, materiae ipsi adtemperatus, ubique est simplex, neque tamen humilis, multo minus ornamentorum adfectator. Quoniam vero personae humiles et agrestes animi sui sensa plerumque per comparationes exponere, et quasi spectanda exhibere amant: ornamenta huic stylo propria sunt similitudines et comparationes frequentiores a rebus rusticis petitae.

Versus idyllio proprius est apud Graecos et Romanos hexameter; apud Germanos hexameter vel iambus. Scribuntur etiam idyllia sermone soluto.

Praecipui scriptores inter Graecos sunt Theocritus, Moschus et Bion: inter Romanos Virgilius, Nemesianus, Calpurnius; inter Germanos Gessner, Voss, Kleist, Bronner, Kosegarten, Krausenek, poëtria Vienn. Pichler cct.

CAPUT VIII.

De Elegia.

Elegia ex vi nominis graeci (Ἐ, Ἐ λεγω, queror) est *carmen lugubre*; primisque temporibus res tantum tristes elegiis canebantur, deinde vero et alia themata, quaecumque cum affectu placido tractari possunt: ut docet Horatius *ep. ad Pisones. vv.* 75. 76.:

> Versibus impariter junctis querimonia primum,
> Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Elegia est carmen, quod moderate et placide querendo de amissa sorte meliori, hujus pulchritudinem comparando cum praesente sorte pejore depingit. Inde discrimen deducitur a *satyra*, quae acerbe querendo vel ridendo magis in praesentis temporis turpitudine, quam in sortis melioris pulchritudine describenda versatur: *ab idyllio*, quod sortem illam meliorem, velut praesentem, ante oculos ponit, illaque fruitur, quin ullam de praesenti rerum statu mentionem faciat. Non differt a carmine lyrico, cujus potius partem constituit, nisi quod affectus, elegia expressus, moderatior est, quam in ceteris carminis lyrici speciebus.

Materia seu argumentum elegiae est multiplex: molles et tenerae querelae de amissa innocentia morum, de amissis amicis, amor infelix aut vanus; miseria nostra aut aliena; vel damnum aliud natura sua, aut diuturnitate temporis sedate molliterque ad tristitiam invitans, et quivis alius lenis animi motus.

Motus animi placidi et temperati *stylum* quoque placidum et temperatum requirunt, nativa quidem elegantia decentem, ab omni tamen ornatu quaesito remotum. Hinc argutiae et ingeniose dicta, sententiae frequentiores absint, ut, quod sentit animus, eloquatur.

Quamquam vero affectus secum ipso occupatissimus non fert sententias frequentes: in id tamen pronus est, ut, quod ipse sentit, omnes sentire putet. Hinc senten-

tiae graves, non acutae, in elegiis locum habent. Sic Penelope marito suo, quem amabat, timens, dicit:

Res est solliciti plena timoris amor. Ovid. Heroid. I. v. 12.

Eodem modo elegia, quae argutias et ingeniose dicta respuit, amat antitheses: in quas affectus lenior pronus est, et comparando sortem praesentem cum priore, vel per aliam comparationem rem magis perspicuam reddere amat. Sic Ovidius ad Caesarem *Trist. L. II. v.* 43. seqq.

Tu veniam parti superatae saepe dedisti,
Non concessurus quam tibi victor erat.
Divitiis etiam multos, et honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
Quaeque dies bellum, belli tibi sustulit iram,
Parsque simul templis utraque dona tulit.
Utque tuus gaudet miles, qui vicerit hostem,
Sic cur se victum gaudeat, hostis habet.

Forma elegiae est varia, scribitur enim jam more narrationis, jam more descriptionis, jam dialogi.

Subordinata elegiae species sunt *heroides*.

Heroides sunt eruptiones elegiacae et querulae mentis ad amatum, vel infelicis ad felicem, aut alium infelicem. Celeberrimae sunt Ovidii heroides, quem recentiores poëtae Angli et Galli cum multa laude sequuti sunt. Germani in hac una poëseos specie nihil adhuc ausi sunt eximium.

Versus elegiae proprius est apud Graecos et Romanos hexameter et pentameter alternantes, nomine graeco *distichon:* Germani vel eodem disticho utuntur, vel iambis, vel trochaeis. De versu Romanis elegis proprio, uti et de stylo elegiaco, suavi, liberali, et facili, suavissime scribit Ovidius, elegiam sub persona matronae naturali pulchritudine elegantis depingens:

Venit odoratos elegeïa nexa capillos,
Et, puto, pes illi longior alter erat;
Forma decens, vestis tenuissima, vultus amantis:
In pedibus vitium causa decoris erat.

Praecipui poëtae elegiaci sunt: Romani: Tibullus, Propertius, Ovidius, Cornelius Gallus, et P. Pedo Albinovanus: Germani: Klopstock, Denis, Mathisson, Salis, Weisse, Gotter, Hoelty, Nicolai, Voſs, Schiller, cet.

CAPUT IX.

De carmine lyrico.

Carmen lyricum nomen habet a lyra, quod ad lyram decantari solebat. Quoniam vero cantus, praecipue cantus ad lyram, qui cum saltu conjunctus erat, non nisi in affectu, et affectu palam faciendo locum habere solet: *carmen lyricum* definitur, *expressio vividissima affectuum, qui totum poëtae animum implent, sermone et versibus ad cantum aptissimis.*

Species carminis lyrici sunt:

1) *Hymnus*, species carminis lyrici antiquissima, est *cantus in laudem deorum et heroum*, seu apud recentiores, *cantus de rebus sacris et divinis.*

2) *Dithyrambus*, olim erat *cantus in honorem Bacchi, audacia cogitatuum insolita, et versibus lege solutis, proxime accedens ad licentiam Bacchantium.* Hodie hoc nomine compellatur *cantus, qui ad certam et definitam metri necessitatem minime adstrictus, libere evagatur.*

3) Oda heroica, *quae celebrat laudes virorum magnorum aut de genere humano, aut de patria optime meritorum.*

4) Oda philosophica, *quae vitiorum odio et virtutis amore exardescens, animum humanum penetrat, et quid deceat, quid non, cum affectu docet.*

5) Oda Anacreontica, ab Anacreonte Tejo dicta, *quae vitae gaudia et hilaritatem spirat.*

Tenenda etiam est alia apud nostros divisio in *odas* Oden et *cantica* Lieder. Priorum nomine complectimur ea, quae metrice quidem scripta, sed ad cantum non sunt ordinata; posteriorum vero compellatione ea veniunt, quae ad cantum vel ordinata sunt, vel facile ordinari possunt. Ex quo diversitas denominationum: **Geistliche Oden, geistliche Lieder.**

Ex utraque carminis lyrici definitione patet, rem omnem, quae cum vivida affectuum expressione tractari potest, materiam seu argumentum esse odarum. Horatius ipse, poëta, siquis alius, philosophicus, multo plura argumenta tractavit, quam quae ipse lyrae adsignat, odarum philosophicarum totus oblitus:

Musa dedit fidibus, divos, puerosque deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre. Ep. ad Pison. v. 83—85.

Quoniam igitur omnis oda non est, nisi vivida affectuum expressio, seu affectus erumpens: primaria et vix non una carminis lyrici dos, ex qua ceterae, ceu ex fonte, promanant, est enthusiasmus.

Est vero *enthusiasmus* illa phantasiae animique dispositio, qua illa imaginum vividarum copia incalescit, hic torrentis instar in affectus prorumpit. Quum autem carmina quaecunque arte tractari debeant: ille quoque et phantasiae et animi motus, licet vehementissimus, ad certum quemdam, quamquam latentem, a ratione tamen praefixum finem, ordinatus esse debet.

Enthusiasmus temporis faventis dos et fructus est. Interdum autem intentae objecti propositi, ejusque pulchritudinis aut turpitudinis, contemplationi originem debet, quem poëtae prisci non immerito deum dixerunt.

Ex enthusiasmo nascuntur 1) audacia dictionis, 2) unitas affectuum, 3) sublimitas, 4) brevitas, 5) suavitas.

1) *Audacia dictionis*, quae a communi sermone poëtico recedit, consistit in *audacia exordiendi, saltu lyrico* et *insolito vocabulorum usu.*

a) *Audacia exordiendi* ex ipso enthusiasmo nascitur. Animus enim affectu abreptus omnem praeparationem respuit, et in mediam rem irruens, illa, quibus maxime adficitur, prima effert. Sic Horatius carm. lyr. L. I. 3. Virgilio iter prosperum precaturus, navim ipsam, qua Virgilius vehebatur, adloquitur: *Sic te Diva, potens Cypri cet.* Sic carm. lyr. L. I. 2. *Jam satis cet.*

b) Ex enthusiasmo itidem nascitur *saltus lyricus*, seu transgressio ab uno cogitatu ad alterum remotiorem omisso medio, qui amborum quasi vinculum est. Animus enim affectu plenus non fert moras connexionis; sed ea tantum, quae sunt in re praecipua, evibrat: quod in hominibus vehementi quodam affectu abreptis quotidie observare licet.

Hinc saltus lyricus non nisi in affectu vehementi, qui animum secum abripit, locum habere potest. Nam animus tranquillus, uti et affectus placidior ordine cogitandi naturali progreditur, et cogitatus a se invicem pendentes devincit. Exemplum exstans saltus lyrici habemus eadem oda 3. libri I. quum Horatius repente invehitur in illum, qui primus mari se credere ausus est, omisso cogitatu medio: *utinam nunquam inventa fuisset ars navigandi, quia Virgilius, natura timidus, non fuisset ausus, primus navigare.*

c) *Insolitus vocabulorum usus.* Enthusiasmus enim, cui ordinaria loquendi ratio non sufficit, ad cogitata sua efferenda audacioribus metaphoris et figuris, constructione vocabulorum insolita atque nova, compositione vocum libera atque minus usitata, crebrisque inversionibus animi sui sensa proponit.

2) Secunda carminis lyrici dos, ex enthusiasmo nata, est *unitas affectuum*, quae in odis aeque est necessaria, quam unitas actionis in dramate aut epopoeia. Quemadmodum vero unitas actionis maxime excludit actiones secundarias, quae actionem principalem adjuvent: sic etiam unitas affectus primarii non excludit affectus secundarios, primario subordinatos. Quamquam enim affectus principales plures in animum simul dominari nequeant: nullus tamen affectus adeo purus est, quin conjunctus sit cum aliis affectibus secundariis; e. g. amor semper conjunctus est cum timore.

Quum igitur nullus affectus solus per se subsistat, facile transilit in affectus sibi subordinatos; nunquam tamen, quod quidam falsissime volunt, evagatur in themata omnino

extranea, vel thematis sui sterilitate coactus, vel adlectus pulchritudine thematis extranei. Affectus enim secum ipso occupatissimus res extraneas ne advertit quidem; et, si thema sit adeo sterile, ut cum affectu tractari nequeat, non potest esse argumentum carminis lyrici.

3) Tertia carminis lyrici dos est *sublimitas.* Dicitur vero sublimitas in genere elevatio supra vulgarem statum, simulque hujus elevationis perceptio. Est igitur sublimitas cogitatus ex enthusiasmo orta, elevatio supra vulgarem cogitandi modum, quem quasi humilem seque indignum animus despicit. Ex hoc sublimi cogitandi modo oriuntur sublimes imagines, quae lectoris animum percellunt, et supra ideas communes extollunt. Talis est apud Horatium imago viri constantis carm. lyr. L. III. 3. vv. 7. 8.

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.

4) Quoniam vero nec affectus vehemens erumpens, nec elevatio supra communem cogitandi modum diu durare possunt: necessaria dos carminis lyrici est *brevitas,* quae omnes cogitatus, ad affectum non pertinentes, et otiosas imagines negligit. Quum vero opus aliquod breve haud eandem in lectoribus possit excitare delectationem, qua poëma aliquod majus nos perfundit, poëta curare debet, ut illud, quod brevitate amittit, suavitate compenset. Est igitur

5) *Suavitas* necessaria carminis lyrici dos, quae non tantum in eo posita est, ut cogitatus ipsi sint suaves et eloquutio versuumque structura sit harmonica: sed praecipue in eo, ut poëta argumentum sibi canendum sumat, quod magnitudine sua animos teneat; aut per novum, insolitum, et inexspectatum, tam inventione, quam tractatione, aut per sales et argutias illud animare satagat.

Versus carmini lyrico proprius est diversissimus. Quare ejusdem schemata quaedam, quae in auctorum lectione consulere licebit, subjicienda putamus. Genera enim ver-

suum, quae P. I. dedimus, varie componi a lyricis solent. Germani praeter haec metra lyrica etiam jambicos et trochaicos versus in scribendis odis adhibere solent.

Praecipui poëtae lyrici apud Graecos sunt: Pindarus, Alcaeus, Sappho poëtria, et Anacreon; apud Romanos; Horatius, apud Germanos permulti clari, sed principes: Klopstock, Denis, Ramler, Mastalier, Uz, Matthisson, Salis, Goethe, Schiller. *cet.*

Schemata metrorum lyricorum.

I. Metrum Alcaicum omnium magnificentissimum, quo plurimas odarum suarum scripsit Horatius, constat duobus versibus Alcaicis, tertio jambico, quarto dactylicopindarico.

Nota. **Ultima versus syllaba et in hoc et in aliis metris pro lubitu poëtae, vel brevis, vel longa esse potest.**

— —	∪ —	—	— ∪ ∪	— ∪ ∪
— —	∪ —	—	— ∪ ∪	— ∪ ∪
— —	∪ —	— —	∪ —	—
— ∪ ∪	— ∪ ∪	— ∪	— ∪	

Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna: serius ocyus
Sors exitura, et nos in aeternum
Exsilium impositura cymbae. *Hor. carm. lyr. L. II. 3. vv. 25—28.*

Germani spondei loco, quo carent, aut quem rarissimum habent, non choreum, qui cum sequente iambo in choriambum coalesceret, sed iambum ponunt.

∪ —	∪ —	∪̲	— ∪ ∪	— ∪ ∪
∪ —	∪ —	∪̲	— ∪ ∪	— ∪ ∪
∪ —	∪ —	∪ —	∪ —	∪
— ∪ ∪	— ∪ ∪	— ∪	— ∪	

All' Eine Straße müssen wir: allen rauscht
Die Urn' im Umschwung: früher und später fällt
Das Loos des Schicksals, uns zum ewig
Währenden Bann in den Kahn zu setzen.

II Metrum Sapphicum constat tribus versibus Sapphicis, et quarto Adonio:

— ∪ | — — | — ∪ ∪ | — ∪ | — ∪
— ∪ | — — | — ∪ ∪ | — ∪ | — ∪
— ∪ | — — | — ∪ ∪ | — ∪ | — ∪
— ∪∪ | — —

Nullus argento color est, avaris
Abdito terris, inimice lamnae,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu. Hor. carm. lyr. L. II. 2. v. 1—4.

Weder Farb' hat Silber noch Glanz, das geizig
Uns die Erd' einhüllt, o du Feind des Bleches,
Wenn es nicht, Sallustius Crispus, blank wird
Weisem Gebrauche.

Saepius Germani, spondeo carentes, Sapphicorum loco ponunt Phalaecios, e. g.

— ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ | — ∪ | — ∪

Schaudernd flüstern die Wipfel, und melodisch
Hallt's wie Silbergetön: Die Jahr' entstürmen!
Morgen Schatten und Asche! Kränzt mit Myrten
Heute den Becher.
Matthisson.

Vel, praeeunte Klopstock, pro Sapphico versu ponunt dactylum cum quatuor trocheis, ita ut dactylus in primo versu primum, in secundo secundum, in tertio tertium locum teneat.

— ∪ ∪ | — ∪ | — ∪ | — ∪ | — ∪
— ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ | — ∪ | — ∪
— ∪ | — ∪ | — ∪ ∪ | — ∪ | — ∪
— ∪ ∪ | — ∪

Quelle, du bist mir werther, dann des lauten,
Felsentstürzenden Stroms erzürnte Woge!
Deinem leisen Lispeln entschlüpfen süße
Freuden der Seele.
Fried. Gr. v. Stollberg.

II. *Metri Asclepiadei* quinque sunt species: 1) Oda Asclepidea, 2) Asclepiadeo-Glyconia, 3) Glyconio-Asclepiadea, 4) Asclepiadeo-Pherecratico-Glyconia, 5) Versus choriambicus, seu Asclepiadeus major.

1) Oda Asclepiadea constat versibus Asclepiadeis.

— — | — ◡ ◡ | — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati. Hor. carm. lyr. L. I. 1, v. 15—18.

Germani spondei primi loco ponunt vel choreum, vel iambum,

◡ — | — ◡ ◡ | — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡
— ◡

Wenn des Africus Kampf Icarus Wog' empört,
Zagt der Krämer, und Ruh lobt er, und seiner Stadt-
Segensgegenden; bald zimmert er neu des Schiffs
Lecken Rumpf, und verschmäht arme Genügsamkeit.

2) Oda Asclepiadeo-Glyconia tribus versibus Asclepiadeis subjungit Glyconium.

— — | — ◡ ◡ | — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡
— — | — ◡ ◡ | — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡
— — | — ◡ ◡ | — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡
— — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡ |

Lucem redde tuae, dux bone, patriae:
Instar veris enim vultus ubi tuus
Adfulsit, populo gratior it dies,
Et soles melius nitent. Hor. carm. lyr. L. IV. 5. v. 5—8.

Segne wieder mit Licht, gütiger Fürst, dein Land!
Denn sobald, wie der Lenz, heiter dein Angesicht
Zugelächelt dem Volk, fröhlicher eilt der Tag,
Heller strahlt ihm der Sonnenschein.

3) Oda Glyconio-Asclepiadea versui Glyconio subjungit Asclepiadeum.

— — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡ |
— — | — ◡ ◡ | — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡

Nil mortalibus arduum est:
Coelum ipsum petimus stultitia; neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina. Hor. carm. lyr. L. I. 3. v. 37—40.

Nichts ragt Sterblichen allzu steil!
Selbst den Himmel bedroh'n Thörichte wir; und nicht
Dulbet unsere Missethat,
Daß den zornigen Strahl lege der Donnerer.

4) Oda Asclepiadeo-Pherecratico-Glyconia constat duobus versibus Asclepiadeis, Pherecratico et Glyconio.

— —	— ◡ ◡	—	— ◡ ◡	— ◡ ◡
— —	— ◡ ◡	—	— ◡ ◡	— ◡ ◡
— —	— ◡ ◡	— ◡		
— —	— ◡ ◡	— ◡◡		

O fons Blandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus,
Cras donaberis hoedo,
Cui frons turgida cornibus. Hor. carm. lyr. L. III. 13. v. 1—4.

O Blandusia-Quell, blinkender als Krystall,
Werth balsamischen Weins unter dem Blumenkranz!
Dir wird morgen ein Böcklein,
Dem die Stirne vom Hörnchen keimt.

5) Versus choriambicus, seu Asclepiadeus major constat his quinque pedibus:

— — | — ◡ ◡ — | — ◡ ◡ — | — ◡ ◡ | — ◡ ◡

Spondei loco Germani jambo vel choreo utuntur.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoë; nec Babylonios
Tentaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati. Hor. carm. lyr. L. I. 11. v. 1—3.

Nicht vorwitzig geforscht, gegen Verboth, was, o Leukonoe,
Mir zum Loose, was dir Götter bestimmt; noch Babylonische
Wunderzahlen versucht! Besser fürwahr dulden wir, was auch kommt.

IV. *Metrum Sapphicum majus*, seu *choriambico sapphicum* constat alternantibus versibus Aristophanico et choriambico Sapphico.

— ◡ ◡ — | ◡ — —
— ◡ — — | — ◡◡ — | — ◡ ◡ — | ◡ — —

vel apud Germanos:

— ◡ ◡ — | ◡ — ◡
— ◡ — ◡ | — ◡◡ — | — ◡ ◡ — | ◡ — ⏑̲

Lydia, dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis? Hor. carm. lyr. L. I. 8. v. 1—4.

Lydia, sprich, bey aller
Götter Macht! Was treibst du in Hast, Sybaris Herz vor Liebe
Ganz zu vergehn? Wie ward ihm,
Welcher Staub und Gluthen ertrug, sonniges Feld zum Abscheu?

V. *Metrum Archilochium* quatuor continet species: prima constat versibus hexametro et Archilochio alternantibus. Est vero Archilochius dimidium pentametri:

— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | —

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis
Arboribusque comae. Hor. carm. lyr. L. IV. 7. vv. 1. 2.

Weggeflohen ist der Schnee; schon kehrt dem Gefilde die Grasung,
Bäumen das grünende Laub.

Secunda species complectitur tres versus: hexametrum, iambicum dimetrum, et Archilochium.

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina,
Lubricus et Simois. Hor. Epodon. 13. vv. 13. 14.

Deiner harrt die Assarakus-Flur, die der kleine Skamandrus
Mit kalter Strömung trennt, und rasch
Simois Welle durchschlüpft.

Tertia species constat senario iambico, Archilochio, et iambico dimetro.

Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium,
Querebar, adplorans tibi. Hor. Epodon. 11. vv. 11. 12.

Daß wider Gold doch nichts vermag des Armen Geist
Oder sein redliches Herz!
So klagt' ich oft mit Thränen dir.

Quarta species constat alternantibus versibus, dactylico-Archilochio, et iambico — Archilochio.

Versus dactylico-Archilochius est heptameter, cujus priores pedes quatuor sunt vel dactyli, vel spondei:

— ◡◡ | — ◡◡ | — ◡◡ | — ◡◡ | — ◡ | — ◡ | — ◡
— — | — — | — — | — — |

Versus iambico-Archilochius componitur ex duobus iambis, syllaba longa et tribus choreis.

◡ — | ◡ — | — | — ◡ | — ◡ | — ◡

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favonii
Trahuntque siccas machinae carinas. Hor. carm. lyr. L. I. 4. vv. 1. 2.

Winternde Kälte verthaut dem Favonius und dem schönen Frühling;
Und trockne Kiele dreht die Wind' am Meerstrand.

VI. *Metrum Alcmanium* componitur ex versu heroico et tetrametro Alcmanio, qui est versus heroicus duobus pedibus mutilatus.

Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque. Hor. carm. lyr. L. I. 7. vv. 25. 26.

Wo auch immer das Glück, mehr hold denn der Vater, uns hinträgt,
Wollen wir gehn, o Freund' und Genossen!

VII. *Metrum choreum* versum primum habet choreum trium pedum, sequente syllaba longa, secundum jambicum quinque pedum, sequente syllaba brevi. Dicitur metrum choreum, licet versus secundus sit jambicus; quia secundus versus primo si jungatur, efficiunt simul sumti choreum novem pedum.

— ᴗ | — ᴗ | — ᴗ | — |
ᴗ — | ᴗ — | ᴗ — | ᴗ — | ᴗ — ᴗ

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar. Hor. carm. lyr. L. II. 18. vv. 1. 2.

Weder Elfenbein durchblinkt
Noch goldnes Prunkgetäfel mir die Wohnung.

VIII. Praeter haec metra, lyrae propria, *versum* etiam *iambicum* Horatius in libro Epodon quatuor modis adcommodavit.

1. Epodon carmen 17. omnes versus habet senarios iambicos.

ᴗ —	ᴗ —	ᴗ —	ᴗ —	ᴗ —	ᴗ —
ᴗᴗ —		ᴗᴗ —		ᴗᴗ —	
— ᴗᴗ		— ᴗᴗ		— ᴗᴗ	
— —		— —		— —	

Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignae Tantalus semper dapis; cet. v. 65. seqq.

In sermone patrio omnes pedes sunt jambi:

⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏑ —
Ruh wünscht des Pelops Vater, der, um Hochverrath,
Dort ewig darbt am vollen Festmahl, Tantalus.

2. Saepius primus versus est trimeter, secundus dimeter jambicus purus:

⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏑ —
⏑ — | ⏑ — | ⏑ — | ⏑ — |

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni foenore. Hor. Epod. 2. v. 1—4.

Glückselig jener, der entfernt dem Weltgeschäft,
Wie biedres Volk des Alterthums,
Sein Vaterfeld mit eignen Stieren wohl durchpflügt
Von allem Wucher frank und frey.

3. Primus versus est heroicus, secundus iambicus trimeter, seu senarius.

Barbarus, heu! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula:
Quaeque carent ventis et solibus, ossa Quirini,
Nefas videre! dissipabit insolens. Hor. Epod. 16. v. 11—14.

Bald, ach! steht der Barbar siegreich auf geäscherten Trümmern;
Sein Reiter trabt mit lautem Hufschlag durch die Stadt;
Und, die Wind und Sonne verschont, die Gebeine Quirinus,
O Gräuelanblick! streut umher sein Übermuth.

4. Primus versus est heroicus, secundus iambicus dimeter.

Nox erat, et coelo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera,
Quum tu magnorum numen laesura deorum,
In verba jurabas mea. Hor. Epod. 15. v. 1—4.

Nacht wars, und hell blinkte der Mond am heiteren Himmel,
Den kleine Stern' umfunkelten;
Als du, zu höhnen bereit die Gewalt allmächtiger Götter,
Den vorgesagten Eid mir schwurst.

IX. Ad versus lyricos referri meretur etiam versus *Phalaecius*, a numero syllabarum *hendecasyllabus* dictus, quo non tantum Catullus in thematis tenuioribus saepe usus est, sed etiam poëtae Germani persaepe utuntur: quid, quod eundem, ut supra monuimus, non raro sapphici loco ponunt. Primus hujus versus pes est spondeus vel iambus, vel trocheus, secundus pes est dactylus, quem tres chorei sequuntur.



Verani, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis!
Venistine domum ad tuos penates,
Fratresque unanimos anumque matrem?
Venisti. O mihi nuntii beati! Catull 9. *v.* 1 *seqq.*

Mein Veranius, unter hundert tausend
Lieben Freunden von allen mir der liebste!
Bist du wieder bey deinen Haus-Penaten,
Herzensbrüdern und guten alten Mutter?
Ja du bist es. O freudenvolle Bothschaft!

Nota. Ex hac versuum lyricorum coordinatione repetitur odarum denominatio: Oda *monocolos* dicitur, quae uno genere versuum constat; e. c. asclepiadea: *dicolos*, quae ex duobus versuum generibus componitur; e. c. asclepiadeo-glyconia, glyconio-asclepiadea, sapphica: *tricolos*, quae tria versuum genera habet; e. c. alcaica *cet. Distrophos* dicitur oda, quum post secundum versum reditur ad primum, e. c. glyconio-asclepiadea: *tetrastrophos*, quum post quartum versum fit conversio ad primum; quod fit plerumque. Hinc Oda *sapphica* est *dicolos tetrastrophos; alcaica* est *tricolos tetrastrophos*, cet.

CAPUT X.

De Oratione.

A. De Progymnasmatis.

Progymnasmata nomine graeco, seu praeexercitationes nomine latino, dicuntur faciliores thematum tractationes, quibus ex consilio veterum rhetorum tam graecorum quam latinorum juvenes ad scribendas ipsas orationes praeparantur, ne ad opus omnium gravissimum imparati accedant.

Tractantur horum progymnasmatum a rhetoribus plures species; quarum nos unam alteramve in rem nostram sufficere putamus. De narratione, descriptione, et fabula supra jam diximus. Agemus igitur hic 1) de *loco communi*, qui ad amplificationem, in oratione necessariam, est adcommodatissimus, 2) de *chria*, quae orationis majoris prodromus non immerito a nonnullis vocatur.

De loco communi.

Locus communis olim dicebatur oratio, exaggerans bona vel mala, quae alicui insunt. Recentiores vero locum communem dicunt adscensionem a re singulari ad universalem. e. c. Si quis dicere velit de arte oratoria vel poëtica, per locum communem potest transire ad artes generatim, earumque mutuam cognationem. Sic Cicero pro M. Marcello, laudaturus Caesaris clementiam, generatim de laude clementiae praedicat.

Quoniam vero res per oppositionem fit clarior, loco communi plerumque additur etiam contrarium. e.c. Si quis laudaturus virum constantem, de laudibus virtutis constantiae dicere velit, poterit etiam perstringere inconstantiam.

Dicitur hoc praeexercitamentum locus communis, quia communiter convenit omnibus, qui talis boni vel mali sunt participes. e. c. Qui Scipionem Africanum ob

continentiam laudaturus, dicit de laudibus ipsius continentiae; laudat per hunc locum communem omnes, qui continentia sunt insignes.

Locus communis valet ad probandum, exornandum et amplificandum, et ad acriter concludendum. e. g. Si quis per locum communem agat de gloria eorum, qui patriam defendunt: rite concludet, eum, quem ob patriae defensionem laudandum sibi sumsit, gloria esse dignissimum. In gratulationibus et laudationibus, praecipue si materiam laudis haud sufficientem is, quem laudare aut volumus, aut debemus, nobis suppeditet, non tantum utilis, sed omnino necessaria est loci communis tractatio.

Ex his causis apud summos oratores frequentissima est loci communis tractatio, ita ut relictis propositionibus particularibus, quas tractant, transgrediantur ad locum aliquem communem; unde, quae in genere bona vel mala demonstrata sunt, facillime ad singularia transferri possint. Hinc exempla locorum communium, quum in omni fere oratione occurrant, hic describere supersedemus.

De Chria.

Chria, vox graeca, significat *usum*, seu utilitatem; quia hoc praeexercitamentum tradit rationem probandi, illustrandi et amplificandi thesim: atque hinc magno est usui tironibus, ad majora elaboranda accessuris.

Chria, quoad rem, est *commemoratio et commendatio dicti vel facti, vel utriusque conjuncti, quae memoria omnino digna sunt.*

Est igitur chria triplex: *chria verbalis, activa et mixta.*

Chria verbalis est *commemoratio et commendatio dicti memorabilis*, e. c. super illo Senecae: *Nulla est honesta avaritia, nisi temporis.*

Chria activa est *commemoratio et commendatio facti alicujus memorabilis.* e. g. *Si quis factum illustre Alexandri Magni, militem saucium purpura sua involventis, et manu sua foventis* exornet.

Chria mixta est *commemoratio et commendatio facti alicujus illustris, quod cum memorabili dicto est conjunctum.* Tale est factum et dictum Diogenis, qui, quum a statua marmorea in foro stipem manu identidem protensa peteret, mirantibus dehortantibusque amicis respondit: *Ad repulsam me experior.*

Ut dictum aut factum memoria dignum commendetur, dictum hoc vel factum explicari, argumentis suffulciri, illustrari et amplificari debet. In hunc finem ab Aphthonio octo chriae partes adsignantur.

1) *Encomium*, seu laudatio auctoris dicti vel facti; quod encomium exordii vices subit.

2) *Paraphrasis*, seu uberior explanatio dicti vel facti, quae propositionis partes expleat.

3) *Causa*, seu argumenta ad dictum vel factum confirmandum.

4) *Contrarium*, ut veritas ex oppositione contrariorum facilius perspiciatur. Hae partes pertinent ad thesim, seu dictum factumve probandum. Reliquae serviunt illustrando aut amplificando.

5) *Simile*, seu similitudines, quae rei non tantum exornandae, sed etiam illustrandae sunt adcommodatissimae, praecipue apud vulgus, et homines ineruditos.

6) *Exemplum* et 7) *Testimonium*; de inductione exemplorum et testimoniorum egimus Partis I. Cap. I. p. 7.

8) *Epilogus*, qui per brevem repetitionem ante dictorum apte concludit, dictum vel factum esse verum et laude dignum.

Quum has octo chriae partes cum Aphthonio recensemus, minime adfirmamus, eas hoc ordine praescripto esse observandas, vel omnes in chria esse necessarias. Quid? quod omnes omnino partes, easque ordine laudato tractare, semperque ab encomio incipere, puerile est. Nihil igitur vetabit, exordium aliunde petere, partes nonnullas omittere, et retentas permiscere, ut e. c. simile vel testimonium modo causam praecedat, modo eidem omnino inseratur.

Quum partes ordine tractantur, dicitur *chria ordinata*; quum partes permiscentur, et aliae omittuntur, dicitur *chria inversa* seu *libera*.

Chria *inversa* seu *libera* nihil differt a chria *Ciceroniana*, quam in Aphthonianae locum recentiores praeceptores substituendam putarunt. Dicitur vero chria *Ciceroniana* quatuor plerumque partibus constare: quae sunt

1) *Protasis*, quae vel est ipsa propositio tractanda, vel a generali ad speciale descendendo a loco communi orditur, a quo ad propositionem fit transitus. e. c. Si quis commendaturus juvenibus studium eloquentiae, ordiatur a commendatione scientiarum in genere: vel ab exhortatione ad studiorum laborisque amorem *cet.*

2) *Aetiologia*, quae adfert causas et argumenta ad propositionem stabiliendam.

3) *Amplificatio*, quae causarum pondera per similitudines, exempla, comparationes, antitheses *cet.* exornat et illustrat.

4) *Conclusio*, quae vel repetit propositionem, vel consectaria inde deducit.

Amplificatio plerumque simul cum Aetiologia tractatur, ut supra dictum est.

B. De Oratione.

Orationis nomine venit omnis sermo, e. c. oratio vel sermo hominis. Nos vero hic *orationem* intelligimus eum sermonem, qui artificiose ita comparatus est, ut sit aptus ad persuadendum, et ut argumentorum pondere, animorumque motu auditores ad aliquid vel credendum, vel agendum, vel ad utrumque simul impellat. e. c. Qui reum coram judicibus defendit, judices oratione sua et ad *credendum*, scilicet adcusatum esse innocentem, et simul ad *agendum*, scilicet, ut reum innocentem absolvant, impellere conatur. Vel orator de religione christiana perorans auditores et ad *credendum*, religionem christianam esse divi-

nae originis, nobisque salutarem, et ad *agendum*, ut vitae suae rationem ad christianae religionis normam conforment, impellere studet.

Oratoria est facultas persuadendi, seu ita dicendi, ut auditores compellantur ad credendum vel agendum, conjuncta cum dexteritate orationes bene perorandi seu declamandi.

Orator dicitur, qui gaudet facultate persuadendi et adcommodate declamandi.

Rhetorica dicitur complexus regularum, quae ad oratoriam praeceptis suis informant. Qui has regulas bene dicendi docet, dicitur *rhetor*.

Orationes variae sunt pro varietate argumentorum.

Orationes *sacrae* sunt, quae tradunt regulas fidei aut morum: *politicae*, quae tractant de rebus ad civitatis statum pertinentibus: *militares*, quae veteribus in usu positae erant, exercitum ad fortitudinem stimulant: *judiciales*, quae rei adcusationem aut defensionem continent: *academicae*, quae agunt de rebus literariis: *funebres*, quae laudes mortuorum virorum magnorum praedicant: *panegyricae*, quae in celebri conventu habitae laudes aut vivorum aut mortuorum pertractant. Talis est Plinii panegyricus sermo Trajano dictus: **Rede auf Maria Theresia, von Sonnenfels.**

Finis oratoris est persuadere dictione. Persuademus aliis, quum docemus per argumenta, simulque animum per excitationem adfectuum movemus, ut, quod mens verum esse intelligit, etiam animus promtus exsequatur.

Hanc vero natura duce in mente illustranda et animo movendo inire viam solemus, ut, quum aliquid ab aliis impetrare cupimus, nobis primum animos eorundem conciliemus; tum illud, quod cupimus, exponamus, illudque omni argumentorum pondere suffulcire conemur; tandem consensum quasi extorturi instemus, variosque motus excitemus. Hinc etiam orationis partes quatuor sunt: Exordium, Propositio, Confirmatio, Epilogus.

De Exordio.

Exordium est prima orationis pars auditorum animos ad reliquam dictionem idonee praeparans.

Exordiorum genera sunt duo: exordium *ex abrupto*, et exordium *justum* seu *legitimum*.

Exordiendi modus *ex abrupto* dicitur, quum orator sine praevia animorum praeparatione, adfectu abreptus, per vehementem figuram ad rem ipsam adgreditur. Tale est celebratissimum Ciceronis Cat. I. exordium: *Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* cet.

Exordium *legitimum*, quod solum exordii nomen meretur, est illud, quo auditores ad reliquam dictionem praeparantur.

Haec animorum praeparatio consistit in eo, ut orator in exordio auditorem reddat *benevolum*, *attentum*, et *docilem*.

Benevolentia auditorum comparatur per oratoris modestiam, famamque nominis, imprimis per exordium curate et diligenter elaboratum. Est enim exordium quasi augurium totius orationis, unde prima oratoris commendatio proficiscitur.

Attentionem auditorum conciliat sibi orator, 1. *petendo* aperte, ut studiose attendere velint; 2. *promittendo*, se dicturum de rebus minime vulgaribus, sed magnis, et auditori ipsi utilibus. Quod utrumque praestitit Cicero pro A. Cluentio c. XXIV. *Vos, quaeso, ut, qui adhuc me attente audistis, item, quae reliqua sunt, audiatis. Profecto nihil a me dicetur, quod non dignum hoc conventu et silentio, dignum vestris studiis atque auribus esse videatur.*

Docilitas auditoris obtinetur perspicuitate dictionis, et facti, si opus sit, narratione, nec non argumenti propositione.

Virtutes exordii sunt *proprietas et brevitas*.

Proprietas in eo posita est, ut exordium cum reliqua oratione, tamquam caput cum corpore, sit conjunctum; et argumento, quod tractandum est, adcommodatum.

Brevitas petit, ut exordium non nimis alte repetatur, et inani verborum circuitione longius, quam par est, producatur. Exordium enim est praeparatio ad ipsam orationem; ineptum vero est, nimium temporis, quod rei ipsi subtrahitur, praeparationi tribuere.

Vitiosa exordia sunt:

Exordium *commune*, quod omnibus argumentis, fortassis etiam contrariis, adplicari potest. Ejusmodi exordia lepide comparantur ephippio, quod cuilibet equo adcommodatur.

Nimis tritum, quod pessumdat et benevolentiam, et attentionem auditorum. e. c. Quum orator identidem excusat ingenii sui debilitatem, *cet.*

Longe arcessitum, quod altius repetitur, ita, ut non nisi violenter propositioni aptari possit.

Nimis longum, quod ceterae orationis magnitudini commensuratum non est.

Unde petenda sint exordia, pendet a prudentia oratoris. Modo petuntur a circumstantia loci, temporis, auditorum, *cet.*: modo ab allusione ad historiam vel fabulam; modo a loco communi, ut supra de Chria libera diximus: modo a contrario; saepissime a rotunda simplicique rei ipsius expositione; quae exordia dicuntur petita *ex visceribus causae.*

Exemplum exordiorum vide in Chrestomathia latina et germanica.

De Propositione.

Propositio est brevis et perspicua expositio ejus, quod orator demonstrandum sibi sumsit. e. c. *Pompejus est optimus imperator.* Perspicuitatis gratia ponitur propositio in oratione, quae est corpus majus, quam ut auditor eam uno intuitu perspiciat. In orationibus minoribus

necessaria non est. Nonnunquam etiam in oratione quadam majore consulto tegitur, suadente id prudentia. e. c. Cicero Catil. IV. totus in hoc est, ut mortis poena in conjuratos decernatur; sed timens crudelitatis invidiam, nunquam id aperte pronuntiat.

Una dos propositionis est *perspicuitas,* ut res proposita non tantum possit facile intelligi, sed etiam, ut non possit non intelligi.

Perspicuitas propositionis petit ejusdem *brevitatem, simplicitatem,* et in oratione majori *divisionem* seu *partitionem.*

1) *Brevis* est propositio, quae omnem prolixitatem verborum, perspicuitati et claritati contrariam, vitat.

2) *Simplex* est, quae unica solum enuntiatione principali effertur, ad quam ceu scopum omnes partes, quae in divisione proponuntur, colliment. Contra simplicitatem peccant propositiones problematicae, quae nihil adfirmant. e. c. *Utrum typographiae, an pulveris nitrati inventio majorem Germaniae laudem conciliet?* Quae perspicua et simplex foret, si ita efferretur: *Typographiae inventio summam Germaniae conciliat laudem,* vel *Typographiae inventio majorem Germaniae conciliat laudem, quam inventio pulveris nitrati.*

3) *Juste divisa* est propositio, si ea, de quibus in oratione majore dicendum est, in duas vel tres partes distribuantur. Haec divisio vulgo dicitur *partitio*, servitque et ordini, quod omnem materiam sub unum quasi conspectum sistit, et memoriae tam oratoris, quam auditorum. e. c. Cic. pro Archia c. II. orationem suam dividit bifariam: *Perficiam profecto,* 1) *ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, quum sit civis, a numero civium*: 2) *verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse.* Orationem pro lege Manilia dividit trifariam c. II.: 1) *Primum mihi videtur de genere belli,* 2) *deinde de magnitudine,* 3) *tum de imperatore deligendo esse dicendum.*

Ut haec partitio et ordini, et memoriae serviat, sequentes leges sunt tenendae:

1) Divisio sit *bene ordinata*, ut ea, quae natura sua sunt priora, praecedant: e. g. vitiosa foret haec partitio: *In Pompejo erat* 1) *auctoritas*, 2) *scientia rei militaris*, 3) *virtus*, 4) *felicitas*: quia scientia et virtus natura sua sunt priora auctoritate, quae ex illis nascitur; vel 1) **Er ist als Christ gestorben, 2) er hat als Christ gelebt.**

2) Divisio sit *plena*, ita ut partes propositionem adaequent, seu omnes totius divisionis partes enumerentur: e. g. manca foret divisio laudis imperatoriae praetermissa scientia rei militaris.

3) Divisio *non sit tautologa*, ut unum membrum in altero contineatur, aut per frigidum verborum lusum utrumque membrum idem dicat. e. c. *In Pompejo fuit* 1) *scientia militaris*, 2) *ars castra metandi*; quae jam in scientia rei militaris continetur; vel **Er war 1) der demüthigste Heilige, 2) und der heiligste Demüthige.**

4) Divisio sit *plana* et quasi obvia, non ad artis et ingenii ostentationem longius arcessita. Contra hanc etiam legem peccat divisio altera num. 3.

5) Divisio ultra quatuor membra non excurrat; secus enim memoriam auditorum jam non poterit adjuvare. Exempla vide in Chrestomathia latina et germanica.

De Confirmatione.

Confirmatio est praecipua orationis pars, in qua propositionis seu causae firmamenta proponuntur, ut auditoribus de veritate persuadeatur.

Haec firmamenta sunt duplicis generis: alia quippe causam stabiliunt et augent, et nomine proprio *Confirmationis* veniunt; alia omne id, quod causae adversari posse videtur, occupant, attenuant, et refellunt, et dicuntur *Confutatio*. Hinc tota vis et confirmationis et confutationis nititur argumentis.

Est vero argumentum *ratio rei dubiae faciens fidem*. In argumentis curandum est, ut Partis I. Cap. I. monuimus, ut firma, et si fieri quidem potest, etiam multa sint.

In argumentis tria sunt dispicienda: *A) unde petantur*, seu fontes argumentorum (loci oratorii). *B) Quomodo tractentur* (Argumentationes). *C) Quomodo amplificentur* (Amplificatio orationis).

2. Fontes Argumentorum.

Fons quidem unus et certissimus, unde argumenta hauriri possunt, est cujusque ingenium, eruditione et multo rerum usu nutritum; sunt tamen et alii argumentorum inveniendorum modi, loci oratorii a praeceptoribus dicti, qui de propositione confirmanda meditantem quasi manu ducunt.

Sunt autem *loci oratorii argumentorum sedes, in quibus latent, et ex quibus argumenta depromi possunt*. Quorum praecipui sunt sequentes:

I. *Definitio* dicitur *oratio*, explicans naturam rei. Estque duplex: *philosophica* et *oratoria*.

Definitio *philosophica* ex genere et differentia componitur. e. c. *Homo est animal rationale*.

Genus est aliquid commune, quod res definita, e. c. *homo*, cum pluribus communiter habet, e. c. *animal*.

Differentia est illud, quod soli rei definitae ita proprium est, ut per hoc ab aliis differat, e. c. *rationale*.

Definitio *oratoria* est *oratio*, *quae rei naturam explicat uberius et latius per descriptionem*. Quod fit sequentibus modis:

1) per rei definiendae partes. e. c. *Ars oratoria est, quae constat inventione, dispositione, eloquutione et pronuntiatione*.

2) per causas vel effecta rei definiendae. e. c. Cicero definit hominem a causa formali *L. I. de Leg. VII.*: *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem*, praeclara quadam conditione generatum est a supremo Deo.

3) per adjuncta et proprietates rei definiendae, e.c. Cic. definit canem *L. II. de nat. Deor. LXIII.*: *Cujus fida cu-*

stodia, amans dominorum adulatio, odium in externos, incredibilis ad investigandum sagacitas narium, alacritas in venando, quid significat, nisi se ad hominum commoditates esse generatum. Hic definiendi modus poëtis est familiarissimus, qui servit rei quasi oculis subjiciendae.

4) per metaphoras coacervatas, aut congeriem definitionum. e. c. *Pecunia est nervus belli, viscera reipublicae, meta desideriorum humanorum, ambitionis alimentum, voluptatum fomes*, cet.

5) per antitheses, vel per negationem et adfirmationem, quum primum dicitur, quid res non sit, ut dein eo fortius inferri possit, quid res sit. Negationi non raro additur ironia. Sic Cicero *pro domo sua c. XXXIII.* definit populum Romanum; primo negat: populum Romanum esse coetum flagitiosorum, additque ironiam, tandem per adfirmationem concludit: *Ille, ille populus est dominus regum, victor atque imperator omnium gentium*, cet. Per antitheses definit Klopstockius Messiad. IV. Ges. V. 450. ff. religionem elegantissime. Talis etiam est haec hominis definitio: Ein dunkles Bild im Kleinen von der vollkommensten Größe; ein Erbe der Herrlichkeit; ein schwaches Kind des Staubes; ein hülfloser Unsterblicher; ein unglückliches Insect; ein Wurm, ein Gott.

Argumentandi ratio ex loco definitionis petita semper firma est, quia ex ipsa rei natura depromitur.

II. *Genus et Forma. Genus* est commune quoddam, in quo res plures, cetera differentes, conveniunt. Res inter se differentes, at in tertio quodam nimirum *genere* convenientes vocantur *species* v. c. *Virtus* est genus; *justitia, temperantia, fortitudo, prudentia*, cet. sunt virtutis species.

Argumentandi ratio a genere ad formam, sive adfirmemus, sive negemus, semper est justa. e. c. *omnis virtutis laus in actione consistit: igitur et prudentiae*, vel in propositione negante: *Nulla virtus modum excedit, igitur neque liberalitas.* Argumentatio vero a specie tantum valet in propositione adfirmante. e. c. *In oppetenda pro patria morte est fortitudo: mors igitur pro patria est virtus*; mi-

nime vero in propositione negante. e. c. *In eroganda pauperibus stipe non est parsimonia : igitur neque virtus*; quia licet non sit haec virtutis species, nihil tamen obstat, quin sit alia.

III. *Causae et effecta. Causa* in genere est, *unde res aliqua est.* Causae species sunt quatuor : causa *materialis*, *formalis*, *efficiens* et *finalis*.

- Causa *materialis* est *id, ex quo aliquid efficitur.* Sic lignum est causa materialis seu materia mensae. Causa *formalis*, seu forma rei est *id, per quod res ita constituitur, ut ab aliis distinguatur.* e. c. Scamnum et mensa, ex eadem materia, scilicet ligno, effecta, differunt per formam. Sic causa formalis hominis est ratio seu mens, quia per hanc a ceteris animalibus distinguitur. Causa *efficiens* est *id, quod efficit, ut aliquid existat vel fiat.* Sic arcularius est causa efficiens scamni; intemperantia mortis praematurae; consiliarius vel suasor belli, ejusdem est causa efficiens. Causa *finalis* est *id, cujus gratia aliquid fit.* Sic commune bonum est causa finalis bonae educationis juvenum, item pax belli.

Argumentandi ratio a causis semper est certissima et pronissima: e. c. a causa materiali: *Multa signa gemmis et auro caelata sustulit: fecit igitur gravia furta*; a causa formali: *Animus hominis est immortalis: igitur ad immortalitatem adspiret*; a causa efficiente: *Senectus caret frequentibus poculis exstructisque mensis*; *caret igitur vinolentia, cruditate*, cet. a causa finali: *Homo factus est ad contemplandum : non ergo ad pastum.*

Quoniam et difficilius est, rerum causas inquirere, et effecta ad movendos animos majorem vim vel ideo habent, quia impendentia vel bona, vel mala nobis depingunt: frequentior est apud oratores et poëtas effectorum quam causarum tractatio.

Dicuntur vero effecta, *ea, quae sunt orta ex causis*: et totidem sunt effectorum, quot causarum species. Hinc *scamnum* est effectus, respondens causae materiali. seu *ligno*: *homo* est effectus causae formalis, *mentis conjun-*

ciae cum corpore humano; *morbus* est effectus causae efficientis, s. *intemperantiae*; *aeterna beatitas* est effectus causae finalis, *vitae sapienter pieque exactae*.

Argumenta ex effectis ita ducuntur, ut ex iisdem vel causae ipsae, vel aliquid causis cognatum inferatur. e. c. *Natura duce ad immortalitatem adspiramus : igitur animo immortali donati sumus*. Item: *Innumera sunt voluptatis mala*: *fugienda igitur est*.

IV. Cognatus est loco causarum et effectorum locus *antecedentium* et *consequentium*.

Antecedentia sunt *ea*, *quae rem necessario antecedunt*, *non tamen faciunt*, *ut res exsistat*. e. c. Ver necessario antecedit aestatem, non tamen ejusdem est causa.

Consequentia sunt *ea*, *quae vel necessario*, *vel verisimiliter post antecedentia accidunt*, *ex causis tamen alienis*, *vel ignotis*. e, g. Mors consequitur vitam, vita tamen non est causa mortis. Dicuntur consequentia etiam sequelae, **Folgen**; quia rem consequuntur; quemadmodum ea, quae orta de causis, dicuntur *effecta*, **Wirkungen**.

Argumentandi ratio a consequentibus ad antecedentia semper justa est. e. g. Ex copia pomorum rite concludo ad copiam florum. Ab antecedentibus vero ad consequentia tum tantum certissime concludimus, quum consequentia semper accidunt. e. c. *Homo natus est*, *ergo morietur*. Alias tantum probabiliter. e. c. A copia florum tempore veris non nisi probabiliter concludimus ad copiam pomorum tempore auctumni, quia multa possunt intervenire, quae copiam pomorum perdant.

V. *Enumeratio partium* est *totius alicujus in suas partes distributio*. Haec partium enumeratio seu distributio plurimum confert, ad rem facilius perspiciendam, praecipue vero ad movendos animos. Res enim explanatae menti fiunt magis conspicuae, altiusque animo insident, quam convolutae. Hinc poëtis et oratoribus est familiarissima.

Ut tamen enumeratio partium firmum et solidum faciat argumentum ad fidem faciendam, deberet enumerare par-

tes omnino omnes. Quoniam vero hoc fieri nequit, nemo que eas omnes novit, sufficit enumerare partes praecipuas.

Tractatur enumeratio tribus praecipue modis. 1) Totum ponitur a principio, et sequitur enumeratio partium. 2) Praecedit enumeratio partium, et totum subjungitur. 3) Totum ponitur a principio instar thesis, quae confirmatur per enumerationem partium, et tandem per conclusionem denuo repetitur totum. Cic. *pro Ros. Am. c. XLVI. Domus referta vasis Corinthiis et Deliacis. — Quid praeterea caelati argenti? quid stragulae vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum, quid marmoris apud illum putatis esse? Familiam vero quantam! Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios. Animi et aurium causa tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum et nervorum et tibiarum, nocturnisque conviviis tota vicinitas personet.*

Argumentandi ratio ex hoc loco eo redit, ut adfirmatis partibus omnibus aut praecipuis, adfirmetur etiam totum, e. c. *In Pompejo est scientia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas: igitur omnis laus imperatoria*; vel negatis partibus omnibus aut praecipuis, negetur etiam totum. e. c. *Roma quum pulsus est Tullius, non erat in republica consul, non senatus, non consensus populi liberi, non mos patrius, non juris et aequitatis ratio: non igitur erat tum illa civitas.*

VI. Adjuncta sunt *ea, quae rei accidunt, eamque circumstant*: hinc alio nomine circumstantiae dicuntur.

Adjuncta continentur hoc versiculo: *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?*

Quis? designat personam, ejusdem patriam, sexum, educationem, *cet.*

Quid? denotat actionem; quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit.

Ubi? locum indicat: fueritne sacer, an profanus, opportunus aut contra, *cet.*

Quibus auxiliis? quibus ministris *cet.*, quo instrumento, *cet.*

Cur? finem propter quem aliquid factum est, indagat. Qua spe? privati an publici lucri causa, *cet.*

Quomodo? modum actionis determinat, clam an palam, consulto an casu, per vim an per artem, *cet.*

Quando? tempus actionis significat: pleno die an nocte, aestate an hieme, *cet.*

Solent adjuncta plerumque plura coacervata et invicem commixta tractari, ita tamen, ut prudentia, quas circumstantias res postulet, quasve respuat, caute definiat, si argumentum ab adjunctis ponderis alicujus esse velimus. Sic Cicero oratione III. Catil. c. V. conjuratos sceleris ex pluribus personarum adjunctis reos a se cognitos esse profitetur: *At mihi quidem, Quirites, quum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, denique unius cujusque confessio; tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se adspiciebant, ut non jam ab aliis indicari, sed ipsi a se viderentur.*

VII. Comparatio est, *quum duo vel plura cum tertio aliquo conferuntur, quod commune sit eis.* e. c. Catoni licuit sequi bellum civile, igitur et Ciceroni. Conferuntur Cato et Cicero in sequela belli civilis, quae fuit utrique communis.

Comparari autem possunt vel res pares, vel major cum minore, vel minor cum majore: hinc tres sunt comparationis modi:

1) *Comparatio a pari*; quum res vel homo par comparatur cum pari. Sic Cic. pro Archia, comparat Archiam cum Homero.

2) *Comparatio a majore ad minus*, quum res vel homo minor confertur cum majore.

3) *Comparatio a minore ad majus*, quum res vel homo major confertur cum minore.

Argumentandi ratio modo adfirmans, modo negans adhibetur, et in eo posita est: 1) Ut, quum fit comparatio a majore ad minus, ita inferamus: Quum illud, quod magis verisimile est, verum tamen non est; etiam illud, quod

minus est verisimile, non potest esse verum. v. c. *Domum Ciceronis ne sceleratissimi quidem homines concupiverunt* (quod magis est verisimile) *igitur Dii immortales eam minime concupiverunt. Cic. pro domo s. c. XLI.* 2) Ut, quum fit comparatio a minore ad majus, ex eo, quod minus verisimile, verum tamen est, colligamus, etiam illud, quod magis est verisimile, verum esse. e. c. *Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones* (quod minus quidem verisimile, verum tamen est): *ut te ipsum serves, non expergisceris? Hor. Epist. I. 2. vv.* 32. 33. (magis verisimile est, vigilare vitae suae servandae gratia). 3) Ut, quum fit comparatio a pari, ex uno verisimili inferamus alterum aeque verisimile. e. c. Cicero V. Philipp. c. IX. *Ergo Hannibal hostis, civis Antonius? Quid ille fecit hostiliter, quod hic non fecerit, aut faciat, aut non moliatur et cogitet?*

VIII. Quoniam homines auctoritati plurimum tribuere solent, locis oratoriis etiam auctoritas adnumeranda venit. Dicitur vero auctoritas *factum*, vel *dictum*, *quo res probatur ceu vera vel bona, aut rejicitur tamquam falsa vel mala.* Est ergo auctoritas duplex: 1) auctoritas facti, seu *exemplum*, 2) auctoritas dicti seu *testimonium.*

Exemplum, seu auctoritas facti, plurimum ad fidem faciendam, praecipue apud homines minus cultos, semper valebit; in primis quum plura exempla commemorantur, quae rem non tantum fieri posse, sed etiam factam esse confirmant. Tractatur hic locus et ad probandum, et ad amplificandum motusque ciendos, nonnunquam etiam a contrario, seu per antitheses. Sic Cicero L. I. in Verrem c. XXI. signorum et tabularum rapinam exprobrat inducens continentium imperatorum exempla: M. Marcelli, L. Scipionis, Flaminii, Mummii, *cet.*

Testimonium, seu auctoritas dicti, profecti a viro aliquo magno, apud homines rudes multum, et non raro plus etiam, quam ipsa argumentorum pondera, e causis petita, quae vulgus hominum plerumque ne intelligit quidem, valere solet. Recolenda hic sunt, quae de adjectione testimoniorum dicta sunt Partis. I. Cap. I. pag. 7. et 8.

Ordo in argumentis repertis observandus est et ad docendum, et ad movendum aptus. Erit vero ordo et ad mentem illustrandam, et ad animum movendum aptus:

1) Si ea argumenta, quae ceteris natura sunt priora, et ex quibus reliqua quasi enascuntur, praemittantur e. c. In laude alicujus rerum publicarum administri argumentum de profunda rei politices cognitione praecedere debet optatos consiliorum ab eo susceptorum eventus, qui ex illa oriuntur.

2) Si argumenta, firma quidem et solida, facilia tamen et aperta praecedant, tum ad graviora fiat transitus, fortissima vero, et quae maxime percellant animos, in finem rejiciantur: non solum ut altius haereant animo, sed etiam ut viam animorum motibus in epilogo excitandis parent.

Postquam argumenta ad stabiliendam confirmandamque propositionem sufficientia reperta sunt: sollicitos nos esse oportet de confutatione adversariorum, seu de modo, quo argumenta contra nos facientia removere possimus. Quod fit sequentibus potissimum modis:

a) *Negando*, quum ostendimus, ea, quae objecta sunt, omnino esse *falsa*, si responsum, quod communi sensui adfatim satisfaciat, in promtu sit.

b) *Debilitando*, quum dividimus difficultatem objectam, si dividi potest, ut per refutationem partis alicujus debilitetur tota objectio.

c) Quodsi neque pars aliqua invicte refutari aut negari possit, ostendimus, objecta esse *aliena* et ad causam minus pertinentia: aut adeo *levia*, ut responso vix digna videantur.

Quoniam in argumentis contra nos facientibus nonnunquam multum ponderis habere potest auctoritas adversariorum: oratoris erit, hanc auctoritatem apud auditores suos infringere, quod tribus modis obtinere poterit:

1) Rem revocando ad rationem, 2) auctoritatem auctoritati opponendo, 3) adversariorum auctoritatem in ipsosmet convertendo. Triplicem hanc confutationis ra-

tionem iniit Cicero in oratione pro lege Manilia, quam vide in Chrestomathia.

Quem locum confutatio tenere debeat, definiri nequit. Res tota pendet a materia tractanda et oratoris prudentia. Plerumque confirmationem, quae propositionem argumentis firmavit, sequitur confutatio, quae argumenta contraria solvit et rejicit. Nonnunquam confutatio praecedit confirmationem: nonnunquam eidem interseritur, et simul cum eadem tractatur; quum singulis argumentis confirmationis adduntur objectiones, earumque solutiones; nonnunquam confutatio totum orationis corpus constituit, e. c. in defensione rei, ubi ad probandam adcusati innocentiam sufficit, argumenta adcusatoris removere.

b) **Argumentationes.**

Argumenta ad fidem faciendam inventa ita etiam tractari debent, ut eorum vis ab auditoribus percipiatur et intelligatur. *Artificiosa argumentorum tractatio, ut eorum vis et fortitudo ab auditoribus percipiatur, animique per eadem moveantur*, dicitur a rhetoribus *argumentatio.*

Praecipuae argumentationum species a rhetoribus numerantur quinque: *Syllogismus; Enthymema, Inductio, Dilemma* et *Sorites.*

I. *Syllogismus* est argumentatio, *quae constat duabus propositionibus ita inter se connexis, ut propositio probanda inde sponte sua fluat.* e. c. Cicero sumit hanc propositionem probandam: *Pompejus est optimus imperator.* Quod ut efficiat, praemittit has duas propositiones inter se connexas: 1) *Is est optimus imperator, in quo est scientia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas:* 2) *Sed in Pompejo est scientia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas.* Ex his propositionibus praemissis propositio probanda ultro fluit: *Ergo Pompejus est optimus imperator.*

Ratio syllogismi conficiendi haec est: Datae propositionis, e. g. *Pompejus est optimus imperator*, inquiratur ratio seu argumentum e locis oratoriis: *quia in Pompejo est sci-*

entia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas. Haec inventa ratio conjungatur cum datae propositionis praedicato, *est optimus imperator*, et fiat inde propositio generalis: *In quo est scientia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas, is est imperator optimus.* Haec propositio generalis dicitur *major.* Deinde argumentum inventum cum datae propositionis subjecto, quod in nostra enuntiatione est *Pompejus*, in hunc modum conjungatur: *sed in Pompejo est scientia rei militaris, virtus, auctoritas et felicitas.* Haec propositio vocatur *minor.* Ex his duabus propositionibus inter se conjunctis tertia, seu data propositio sponte promanat: *Ergo Pompejus est optimus imperator.* Haec propositio dicitur *consequens*, seu *conclusio.*

Syllogismus hoc modo inornato tractatus, vocatur philosophicus. Quodsi vero propositiones periodis, tropis et figuris, similitudinibus aliisque ornamentis oratoriis distinguantur, dicitur syllogismus oratorius.

Quum Syllogismus constat tribus his partibus, *majore, minore* et *consequente*, oratorie tractatis, dicitur syllogismus oratorius *tripartitus*, seu tribus constans partibus. Quum alterutri priorum propositionum, *majori* vel *minori*, potissimum tamen *minori*, additur probatio; dicitur syllogismus oratorius *quadripartitus*, seu quatuor partibus constans. Sic Cicero in oratione pro lege Manilia propositionem minorem: *in Cn. Pompejo est scientia rei militaris*, cet. probat per partes; estque syllogismus quadripartitus, quem vide in Chrestomathia latina. Accidit vero saepissime, ut utraque enuntiatio, *major* et *minor* probatione indigeant: et tum exsistit syllogismus oratorius perfectissimus, seu *quinquepartitus*, id est quinque constans partibus.

Non raro hunc partium ordinem, vel ad tegendum artificium oratorium, vel ad obtinendum feliciorem faciliorenque partium nexum, oratores pro lubitu invertunt ita, ut vel minor praecedat majorem, vel probatio propositionem probandam *cet.*; et tum dicitur syllogismus oratorius

inversus, vel alio nomine *collectio*, quia propositio principalis ex aliis quasi colligitur.

II. *Enthymema* est argumentatio, *constans duabus tantum propositionibus, ita inter se connexis, ut posterior ex priore consequatur, ita tamen, ut mens auditoris semper aliquid suppleat.*

Dicitur enthymema etiam syllogismus imperfectus, quia enthymema non est aliud, quam syllogismus, cui alterutra propositionum priorum ademta est, scilicet ea, quae facilius subaudiri, et ab auditoribus suppleri potest. Quoniam enuntiatio *major*, tamquam propositio generalis, plerumque ex propositione *minore*, in qua continetur, facile suppleri potest: ideo plerumque etiam omittitur major. e. c. *Clodius struxit Miloni insidias: ergo jure fuit occisus.* In hoc enthymemate omissa est propositio major: *Qui struit alteri insidias, jure occiditur;* quia facile ex propositione minore suppleri potest.

Fit vero nonnunquam, ut propositio minor ita in majore contineatur, ut cum eadem simul cogitetur: et tum omittitur propositio minor, e. c. *Omnis scientia hominem ingenuum ornat; ergo et eloquentia;* quia propositio minor: *sed eloquentia est scientia*, simul cogitatur cum propositione majore: *Omnis scientia*, cet.

Enthymema philosophicum fit oratorium, si, quod de syllogismo monuimus, ornamentis oratoriis instruitur.

Tractatur vero enthymema duplici modo ab oratoribus: 1) constricte ad animos acrius et quasi subito percellendos. e. g. *Arma non ponit Antonius; ergo pacem non vult;* 2) vel fusius, ut addantur probationes, illustrationes, cet. quod enthymema proprie est oratorium. Exempla vide tum, in Ciceronis oratione pro lege Manilia, tum in aliis orationibus, in Chrestomathia latina et germanica.

Enthymemati nonnulli accensent *epicherema*, quod non est nisi syllogismus, seu enthymema in unam propositionem contractum. e. c. *Clodius, qui Miloni struxit insidias, jure fuit occisus.* Sic ex hoc syllogismo: *Quod optime regitur, consilio et providentia adminitsratur; sed mundus optime regitur: ergo mundus consilio et providentia administratur,* fit epichere-

ma, si in unam propositionem constringatur: *Quis dubitet, quin mundus, qui optime regitur, consilio et providentia administretur?*

III. *Inductio* est argumentandi genus, quo ex pluribus singularibus, vel similibus, vel exemplis, per comparationem tacitam, aliud singulare, illis adfine, infertur. v. c. *Zeno, Diogenes, Crates aliique complures, virtutis et sapientiae amore ducti, divitias corporisque voluptates spreverunt: ergo et tu, si virtutis et sapientiae studiosus es, eas contemnito.*

Fontes, unde inductiones manare solent, sunt potissimum tres:

1) *Ab enumeratione partium.* Sic Cic. de Orat. L. III. c. 45. in navigiis fabricandis praeter necessitatem etiam venustatis rationem haberi docet inductione partium navis: *Quid tam in navigio necessarium, quam carinae, quam prora, quam puppis, quam antennae, quam vela, quam mali? Quae tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solum salutis, sed etiam voluptatis causa inventa esse videantur.*

2) *A congerie similium.* Talis est illa trita inductio: *Si equus generosissimus putatur, qui acerrimus est ac velocissimus; vinum porro quod optimum: homo etiam generosissimus putari debet is, qui virtute maxime excellit.*

3) *Ab inductione exemplorum.* Sic Cic. pro Muraena c. XXXI. ab inductione exemplorum ita argumentatur: Summi viri, Scipio, C. Laelius, L. Philippus, aliique plures, etsi stoici omnes, comes tamen fuere: ergo neque Catonem, summum virum et stoicum, dedecet comitas.

In tractanda inductione duo sunt observanda:

1) Ut, quaecumque inducuntur ad propositionem stabiliendam, certa sint et indubitata. Quodsi enim vel unum ex inductis vacillaverit, tota argumentatio labefactatur. e. c. Mortem non nimis esse pertimescendam, exemplis magnorum virorum docturus, peccat, si cum Socrate aliisque, qui mortem contemsere, laudet etiam Ciceronem, qui mortem non nisi verbis contemsit; *vel*, si quis de contemtu divitiarum dicturus, cum Diogene, Cratete aliisque in-

ducat philosophum Senecam, qui quum fuerit ditissimus, et opes conquisierit, de contemtu divitiarum e mente philosophorum stoicorum scripsit.

2) Ut inter ea, quae inducuntur, et illud, cujus gratia inducuntur, similitudo vera intercedat. v. c. Magna navis magnis remis agitur, ita et magna actio a viris tantum magnis proficiscitur. Inter magnos remos et magnos viros non nisi in vocabulis est similitudo.

IV. *Dilemma* est argumentatio *constans duabus partibus contrariis, quae utrimque adversarium capiunt.* Ab his duabus partibus contrariis, quae cornuum instar ita dispositae sunt, ut, dum unum fugimus, in alterum incurramus, dicitur dilemma etiam *syllogismus cornutus.* Sic Stoici per dilemma probare conati sunt, omnem dolorem facile perferri posse: *Omnis dolor aut vehemens est, aut levis. Si levis, facile perfertur; si vehemens, certe brevis, ac proinde facile tolerabilis.* Sic Cicero Philippica V. legatos ad Antonium non esse mittendos, ostendit dilemmate: *Legatos decernitis: si ut deprecentur, contemnet; si, ut imperetis, non audiet.*

Tractatur dilemma duobus modis:

1) Paucis brevibusque enuntiationibus evibratur, ut acrius perstringat; quod frequentius est.

2) Argumentis, figuris, et ornatu oratorio distinguitur; quod rarius fieri solet. Utriusque modi exempla plura in Cicerone occurrunt, praecipue in oratione Philippica II.

Quoniam dilemma non raro delabitur in fallaciam, oportet nosse solvendi captiosi dilemmatis vias, quarum tres sunt usitatissimae:

1) *Negando* alterutram dilemmatis partem; e. c. Si negemus, dolorem gravem, utut brevem, facile tolerabilem esse.

2) *Distinguendo,* mediumque aliquid inter datas inserendo; ut, si legatos ad Antonium neque deprecandi, neque imperandi, sed monendi causa mittendos dicamus.

3) *Retorquendo* seu totum dilemma convertendo. Hujus generis est tritum illud Protagoram praeceptorem inter et discipulum de pacta mercede litigium. Quum praeceptor

pro solvenda sibi mercede pugnat hoc dilemmate: *Si in judicio vicero ego, debes mercedem ut condemnatus; si tu viceris, ex pactione debebis*; discipulus vim argumenti in se contorti retorquet hoc dilemmate: *Si causam in judicio vicero, ex judicum sententia mercedem nullam debeo; si autem victus fuero, ex pacto itidem liber ero.*

V. *Sorites* seu syllogismus acervalis, est argumentatio, *in qua gradatim congestis pluribus propositionibus paullatim ad ultimam conclusionem proceditur.* Sic Cicero Quaest. Tuscul. V. c. 45. probat, solum honestum esse bonum. *Etenim quidquid est, quod bonum sit, id expetendum est: quod autem expetendum, id certe adprobandum: quod vero adprobaris, id gratum acceptumque habendum, ergo etiam dignitas ei tribuenda; quod si ita est, laudabile sit necesse est. Bonum igitur omne laudabile; ex quo efficitur, ut, quod sit honestum, id sit solum bonum.*

Sorites plurimum valet ad amplificationem conclusionis, quum rebus antea probatis in unam veluti catenam multae argumentationes strictim coacervantur. Nonnunquam etiam adhibetur sorites per decursum orationis, praecipue in animorum motu, ut, quomodo ex parvis initiis non raro summa vel bona vel mala oriantur, demonstretur. Convenit fere cum gradatione. Sic apud Liv. L. VIII. c. 34. Papirius impunito Fabio omnem disciplinam militarem pessumdari probat. *Non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus consulis, non magister equitum dictatoris pareat imperio!*

Hoc argumentandi genus, quoniam multa minutim coacervat, lubricum est, et facile delabitur in fallaciam, nisi circumspectio adhibeatur, ne in propositionibus vel earundem nexu sit aliquid ambigui vel vitii. Vitiosus ex hoc capite est Themistoclis Sorites: *Meus filius imperat matri, illa mihi, ego Atheniensibus, Athenienses Graeciae, Graecia Europae, Europa toti orbi: ergo filius meus imperat toti orbi.* Vitium est in *imperare*, quod ambiguam habet significationem.

c. Amplificatio.

Amplificatio, ut dicit Cicero partitionum oratoriarum c.53. *est gravior quaedam adfirmatio, quae motu animorum conciliat in dicendo fidem. Ea et verborum genere conficitur et rerum.*

Est igitur amplificatio duplex, *verborum* et *rerum.*

Ad Amplificationem *verborum* ea omnia pertinent, quae Partis I. Cap. I. dicta sunt de perspicuitate, gravitate et suavitate, praecipue de tropis et figuris. Consistit vero haec verborum amplificatio, teste eodem Cicerone loco laudato, *in verbis, quae vim habent illustrandi, gravibus, plenis, inprimisque translatis*, cet.

Amplificatio *rerum* non verbis tantum, sed rebus ipsis vim et dignitatem orationis efficit. Obtinetur vero haec amplitudo duabus potissimum viis; *per congeriem et incrementum*: qui orationis amplificandae modus uterque repetitur e locis oratoriis.

I. Amplificatio per *congeriem* fit, quum ad orationem cum dignitate extollendam plura ejusdem generis congeruntur. Praecipui ejusdem modi sunt:

1) *Congeries definitionum*, quum, ad rei naturam explicandam, variae ejusdem rei definitiones coacervantur. Sic Cicero de historia: *Est testis temporum, lux veritatis, vitae memoria, magistra vitae, nuntia vetustatis.*

2) *Congeries partium*, quum, ad vehementiam orationi conciliandam, partes vel omnes, vel praecipuae enumerantur. Sic Cicero in Pisonem propositionem hanc: *Memoriam funesti tui imperii omnes detestantur*, amplificat primum distribuendo *imperium* scilicet: *facta, mores, faciem, nomen*: tum *omnes* enumerat per partes: *milites et regiones*; milites partitur in *Legatos, Tribunos militum, Centuriones et gregarios;* regiones enumerat: *Achaiam, Thessaliam, Athenas, Apolloniam*, cet.: „*Omnes memoriam Consulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen a republica detestantur. Legati, qui una fuere, alienati: Tribuni militum inimici: Centuriones, et si qui ex tanto exercitu reliqui milites exsistunt, non dimissi abs te, sed dissipati, te oderunt, tibi pestem*

exoptant, te exsecrantur. Achaia exhausta: Thessalia vexata: laceratae Athenae: Dyrrhachium et Apollonia exinanita: Ambracia direpta: Parthini et Bullienses illusi: Epirus excisa: Locri, Phocii, Boeotii exusti: Acarnania, Amphilochia, Perrhaebia, Athamanum gens vendita: Macedonia condonata barbaris: Aetolia amissa: Dolopes finitimique montani oppidis atque agris exterminati; cives romani, qui in iis locis negotiantur, te unum solum suum depeculatorem, vexatorem, praedonem, hostem venisse senserunt.

3) *Congeries adjunctorum*, quum plura rei, personarum *cet.* adjuncta coaeervantur, ad gravitatem rei ostendendam. Sic Cic. pro lege Manil. III. Mithridatis regis ferocem insolentiam exagitat a conglomeratis adjunctis temporis, loci et personarum: Delenda est vobis illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta, quae penitus jam insedit atque inveteravit in populi romani nomine: quod is, qui *una die tota Asia, tot in civitatibus, uno nuntio atque una literarum significatione, cives romanos necandos trucidandosque* denotavit, non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat, et ita regnat, ut se non Ponto neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari.

4) *Congeries causarum et effectorum*, quae coacervata non tantum fidem, sed etiam persuasionem et animorum motum efficiunt. Sic Cicero pro lege Manil. IX. a congerie causarum amplificat magnitudinem instantis belli Mithridatici: *Multa praetereo consulto, sed ea vos conjectura perspicitis: quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes, novus vester imperator accipiat, vetere pulso exercitu?* Sic ab effectis amplificat periculosam Catilinariam conjurationem IV. Catil. XI. *Videor mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium subito uno incendio concidentem: cerno animo sepultam patriam, miseros atque insepultos acervos civium*

Versatur mihi ante oculos adspectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis; cet.

5. *Congeries contrariorum et dissimilium* exaltat vim et perspicuitatem orationis. Sic a contrariis Cicero contendit cum Pisone: *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil praeter colorem: — — omnes honores populus romanus mihi, novo homini, detulit, — homini, non generi; moribus, non majoribus meis; virtuti perspectae, non nobilitati auditae deferebat* cet. A dissimilibus confert Cicero Verrina VI. n. 115. Verrem praetorem cum Marcello expugnatore Syracusarum: *Conferte hanc pacem cum illo bello; hujus praetoris adventum cum illius imperatoris victoria; hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto; hujus libidines cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui conditas accepit, captas dicetis Syracusas.*

6) *Congeries similium, comparationum et exemplorum*, et perspicuitatem dictionis adjuvat, et delectationem progignit. Obvia sunt harum specierum exempla plurima apud Ciceronem, aliosque oratores, quorum plura in Chrestomathia reperies. Sic Seneca ab inductione similium probat, in homine non, quam dives sit, spectari, sed quam bonus sit. *Navis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est; sed quae stabilis est, firma, velox, et consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balteus, nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui ad secandum subtilis est acies. Regula, non quam formosa, sed quam recta sit, quaeritur. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, et a quam multis salutetur; sed quam bonus sit.*

II. Per *incrementum*, seu *auxesin* fit amplificatio, quum oratio per gradus ita crescit, ut ad summum perveniat. Ut hoc incrementum sit vera amplificandae orationis via, non singulas tantum sententias, sed totum orationis corpus pervagari debet ita, ut, quod de argumentis supra monuimus, a minoribus ad majora progrediatur. Amplificationes hujusmodi minores nihil differunt a gradatione e. g.

Cic. V. in Verrem: *Facinus est vincire civem romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? Verbo satis digno tam nefaria res adpellari nullo modo potest.* Vel pro Roscio Amerin. XII. *Eo prorumpere hominum cupiditatem, et scelus, et audaciam, ut non modo clam, sed etiam hoc in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes vestros, judices, inter ipsa subsellia caedes futurae sint.*

De Epilogo.

Epilogus, latinis peroratio dictus, *est ultima orationis pars, in qua orator, quod tota oratione expediebat, jam colligit, et evincere contendit.* Ex qua definitione eruitur, epilogum constare duabus partibus: *anacephalaeosi* et *amplificatione.*

Anacephalaeosis (Latinis recapitulatio) est *capitum et argumentorum, quae per orationem fusius sunt exposita, collectio et brevis repetitio.*

Haec anacephalaeosis id praestat, ut validissima argumenta, quae jam ante probata et illustrata sunt, nunc constrictim, non raro per soritem tractata, audientium animis felicius inhaereant. Quare non tantum in epilogo, sed etiam post singulas orationis partes per anacephalaeosin summa argumenta repetuntur. Sic Cic. pro lege Manilia in conclusione partis primae VII.: *Quare videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium cum republica defenduntur.*

Amplificatio exponit rei et causae actae amplitudinem et gravitatem per animorum motus. Est igitur amplificationis, animum commovere, et eo, quo orator cupit, impellere; id quod adfectibus efficitur. Concitantur vero adfectus universe, si orator rei, quam tractat, imaginem vividissimam animis auditorum informet. Quo majorem suae causae fidem aut verisimilitudinem conciliat, quo luculentius ostendit, quantopere res, de qua agit, ratione loci, temporis, personarum, *cet.* nec non effectorum, quae va-

lidissime animos movent, ad auditorum utilitatem, dignitatem et salutem pertineat, eo certius eosdem movebit et ad agendum impellet. Hinc

Dotes epilogi sunt *vehementia* et *brevitas.*

Vehementia postulat, ut orator quasi animos expugnet, et per adfectuum vehementium concitationem auditores percellat.

Brevitas postulat, ut adfectuum vehementium tractatio, quia ex natura sua diu durare non possunt, fortis sit potius, quam prolixior. Animus enim irremissam intensionem vehementiorem non fert; et, ut Tullius observat, *lacrimae cito arescunt, et animorum incendia celeriter restinguuntur.*

Epilogi cum virtute tractandi non planiorem iuire licet viam, quam adsidua lectione et imitatione optimorum exemplorum sermone tam romano quam patrio scriptorum. Qua de re adi Chrestomathiam tum latinam, tum germanicam.

Stylus orationis in genere ornatus quidem et copiosus: varius tamen est pro argumenti varietate, simplex in narrando et docendo, cultior in delectando, gravis et vehemens in movendo.

Praecipui oratores Romani sunt: M. Tullius Cicero, C. Plinius Caecilius Secundus. Germani: Jerusalem, Mosheim, Engel, de Sonnenfels, Zollikofer, Heidenreich, Reinhard, aliique.

De Pronuntiatione.

Omnis et tota orationis efficacia dependet a communicatione cum auditoribus. Orationes enim scribuntur, ut declamentur, seu perorentur.

Est vero pronuntiatio *vocis gestuumque pro rerum varietate apta conformatio:* seu ex definitione Ciceronis, *quaedam corporis eloquentia,* aut *sermo corporis.*

Quanti sit pronuntiatio momenti, inde conjicere licet, quod Demosthenes, graecorum oratorum princeps, eidem

primas, secundas et tertias deferre nullus dubitavit. Idque haud immerito. Oratio enim, licet sit sine venere et arte scripta, bene tamen pronuntiata, magis delectat, atque movet, quam oratio ex artis regulis ingeniosissime elaborata, sed frigide et inepte pronuntiata.

Consistit vero justa pronuntiatio in *declamatione* et *gestu corporis.*

a. Declamatio.

Declamatio est *vocis opportuna modulatio.* Regulae declamationis vix aliae tradi possunt, quam ut orator vocem rebus opportunissime semper et ubique adcommodare studeat, et, quomodo hoc ipsum illi, qui omnium judicio bene declamare censentur, praestare soleant, diligentissime observet.

Observabit vero 1) vocem saepe mutari, non tantum pro varietate thematum aut adfectuum, sed etiam pro diversitate partium orationis, ita ut in *exordio* (nisi sit abruptum) sit modesta et tranquilla; in *propositione* clara et distincta; in *confirmatione* firma et mascula; in *epilogo*, adfectuum sede, vivida et vehemens, quae adfectus decet:

2) vocem in perorando gradatim adscendere, nec initio statim summa contentione intendi;

3) vocem quasi ex longinquo jam praeparari ad adfectus, atque ea, quae vim nervosque postulare videntur.

Observabit porro declamationis vitia, quorum praecipua sunt:

1) *Cantillatio*, seu modulatio vocis ad rhythmorum modum procurrens:

2) *Monotonia*, auribus molestissima: seu vocis usus uno eodemque sono definitus:

3) *Vociferatio*, quae, teste Cicerone, latratoribus, non oratoribus convenit:

4) *Languor* orationis, quum oscitanter, voce intermortua, sine spiritu et vita declamatur;

5) *Praecipitantia*, quum torrentis instar effunditur oratio, ut nulla ad cogitandum mora relinquatur auditori:

6) *Lentitudo*, quae alternis aut tertiis quibusque vocibus intersistit, et guttatim, ut quidam ait, loquitur.

b. Gestus.

Gestus, qui pronuntiationis complementum est, definitur a Quinctiliano, *totus corporis motus et conformatio.*

De gestu certae regulae vix tradi possunt verbis; multa facilius feliciusque oculis quam auribus addiscuntur. Leges tamen aliquot generales, quas ipsa natura et decentia dictasse videntur, tenendas esse, nemo dubitat.

1) Orator, quem virum gravem esse decet, fugiat, quidquid molle et effeminatum, aut adfectatum videri possit.

2) Status corporis celsus et erectus sit, non tamen superborum in morem elatus.

3) Orator non in statuae morem obrigescat, sed neque incompositis corporis commotionibus vehementius in morem furentis agitetur, aut circumcurset.

4) Gestus, seu eloquentia corporis non pugnet cum eloquentia oris; sed idem, quod verbis eloquitur orator, indicet gestibus. Peccant saepenumero contra hanc legem turpissime oratores, quum e. c. de inferis loquentes, oculos manusque ad coelum tendunt.

Qui de gestu corporis plura doceri cupiunt, adeant libellum: Ideen zu einer Mimik, von Engel.

CAPUT XI.

De Dramate.

Drama, ex vi nominis graeci δρaω, significat *actionem.* Quoad rem drama est *imitatio actionis unius, integrae et verosimilis, quae ope repraesentationis ad adfectus animi ipsa illorum commotione purgandos adcommodata est.* Finis enim dramatis non sola delectatio, sed praecipue morum formatio, et adfectuum ordinatio seu purgatio est; qui finis sine adfectuum excitatione obtineri nequit. Per frequentiorem e. g. commiserationis excitationem spectatores simul promtio-

res ad succurrendum alienae miseriae, simulque fortiores ad sinistram sortem perferendam redduntur.

Duo in omni dramate attendenda sunt: 1) *actio ipsa*, 2) *actionis repraesentatio.*

In dramate necessaria est *actio*, et quidem *actio composita, quae et ad docendum et ad delectandum apta est,* seu *opus consilio et electione susceptum.*

Actio vel ex historia desumitur, quod in tragoedia plerumque fieri solet, vel tota fingitur, quod in comoedia semper observandum est.

Actio tam historica quam ficta, ut sit dramati apta, debet esse 1) *una*, 2) *integra*, 3) *verisimilis.*

a) *Unitas actionis* dramaticae petit, ut omnia, quae dicuntur et aguntur, ad unum communem finem tendant, et ut actiones secundariae, si quas adjungere visum fuerit, licet singulae fines suos habeant speciales, aliquid tamen ad finem actionis primariae vel adjuvandum, vel impediendum conferant.

Actionis unitas non excludit has actiones secundarias, quae cum actione principali cohaerent per connexionem internam, et quae proficiscuntur a personis in primaria actione patranda occupatis.

Connexio haec interna actionum secundariarum cum actione principali vel jam a primo principio usque ad finem actionis per totum drama ita procurrit, ut actio secundaria non possit separari ab actione primaria, et tum dicitur *actio dramatica simplex*: vel actiones secundariae cum primaria ita cohaerent, ut earum nexus interior non nisi sub finem adpareat; tum dicitur *actio dramatica episodica.* Quodsi earundem nexus adeo sit infirmus, ut neque sub finem fiat apertus, actiones vitiosae, et jam non secundariae sunt, sed separatae, et plura dramata confusa exhibent.

In tragoedia, cujus argumentum est actio vere magna, quae totum spectatoris animum occupat, necessaria est actio simplex; in comoedia toleratur actio episodica.

Unitas actionis etiam *temporis unitatem* petit; quia actio, quae longius tempus durat, per alias actiones alienas et extraneas interrumpi debet. Fieri enim nequit, ut quis una eademque actione per longius tempus occupetur, quin et aliis actionibus, omnino alienis, animus teneatur. Hinc unitas temporis consistit in eo, ut duratio actionis unum, aut paucos dies non excedat.

Ex regula quidem tempus repraesentationis cum duratione actionis congruere deberet. Quoniam vero actio aliqua major tam angusto temporis spatio, ut intra paucas horas incipiat, et per difficultates ad plenum eventum provolvatur, non potest circumscribi: temporis unitas petit, ut actio brevi tempore absolvatur.

Sed in ipsa temporis distributione id curandum, ut inter singulos actus aliquid temporis, praecipue vero nox, quae actioni plerumque minus apta est, intercedat; et ut neque actionis principium, neque duratio actuum certo tempore definiatur.

Unitas actionis praeter unitatem temporis etiam *unitatem loci* postulat. Actio enim, quae locis valde dissitis geritur, multum etiam temporis explet: et hinc per alienas actiones interrumpitur.

Veteres, quorum theatra, durante dramate, semper aperta fuerant, ad observandam unitatem loci strictim tenebantur. Quare pleraeque actiones in foro publico agebantur; quod tamen saepe sine laesione decori et verisimilitudinis non potuit observari. e. c. Quum rex ad nuntios audiendos prodire; aut si quis secreta consilia, quae ex natura sua debent esse arcana, cum aliquo communicanda habebat, illa coram populo evulgare coactus erat.

Quam ob rem recentiores, quorum theatra post singulos actus clauduntur, contenti sunt loci unitate vaga, ut actio in eadem urbe, sed diversis domibus, aut locis proxime adjacentibus, geratur. Id solum cavendum, ne durante eodem actu loci seu scenae commutatio fiat, quae omnem illusionem evertit et actum finit.

b) Actio una etiam *integra esse,* hoc est, initium, medium et finem habere debet. Quid per initium, medium et finem actionis intelligatur, diximus Partis II. Cap. I. Rei dramaticae praeceptores dicunt has totius partes *protasin*, *epitasin* et *catastrophen*, nonnulli addunt *catastasin*, quae nihil est, nisi ferventior epitaseos, jam ad finem vergentis, prosequutio.

Protasis, seu *initium*, est prima pars dramatis, in qua et ipsa actio, et personae agentes et cetera scitu necessaria declarantur. Hinc characteres personarum agentium in hac parte spectatoribus noti fieri debent. Quoniam vero drama in actionis repraesentatione consistit: characteres non ex narratione, sed ex ipsa actione spectatoribus innotescant. Quam ob rem *nexus*, quem alii *nodum* actionis dicunt, seu series impedimentorum, conatuum et colluctationum ad actionem vel adjuvandam, vel impediendam, jam in ipsa protasi incipere, et usque ad ultimas scenas, in quibus fit solutio, procurrere debet.

Epitasis, seu medium, secunda dramatis pars, est ipse nodus, implicatio, seu series et difficultatum, quae obstant actioni, et compendiorum ad difficultates solvendas. Epitasis est praecipua dramatis pars, quae auditorum animos tenere, et sciendi aviditatem excitare atque augere debet. In tragoedia, praecipue in epitasi spectatoris perturbatio intendi et perpetuo crescere debet.

Quoniam vero dolorem irremissum animus humanus non fert, quin aut indignetur aut hebescat: adfectus doloris et metus cum adfectibus laetitiae et spei alternent, ut nonnunquam spes adfulgeat, heroëm tragoediae e malis emersurum. Quo fit, ut animus, qui spe dejectum se esse intelligit, tanto graviore pondere in pristinam tristitiam relabatur.

Catastrophe seu *finis*, ultima pars dramatis, est conversio seu commutatio fortunae integra, quum actio per solutionem naturalem finem suum consequitur. Quoniam haec solutio naturalis esse debet: fortunae com-

mutatio jam ante artificiose praeparanda, ejusque semina per totam implexionem ita spargenda sunt, ut solutio inopinata quidem, ex ipsa tamen implexione profecta videatur. Ex quibus tria deducimus:

1) impedimenta magna quidem et convoluta, non tamen confusa esse debere, ut solutio naturalis, non vero violenta sit, seu ut nodus solvatur, non discindatur.

2) solutionem nunquam fieri posse per machinam, seu per auxilium ex adparitione deorum. Talis enim solutio non est naturalis, quia non ex ipsa implexione oritur, neque ullum nexum cum conatibus hominum ad actionem vel adjuvandam vel impediendam habet. Sed neque ad adfectuum purgationem solutio per machinam aliquid conferre potest; quia actio, quae non nisi per difficultates invicto animo superatas magna est, nullo modo magna esse potest, si difficultates solvuntur per vires alienas, seu potestates superiores.

3) Commutatione fortunae facta, drama ipsum finiri; quia actione finita, necessario etiam ejusdem repraesentatio finem habet. Sed fortunae commutatio debet esse plena: secus enim implexio non est soluta neque actio finita, hinc neque integra.

Quare nonnulli perperam reprehendunt Sophoclem, quod actui quarto, in quo Oedipus parricida innotuit, actum quintum addiderit. Agnitio enim peripetiae quidem causa, non vero ipsa peripetia est. e. c. In Andria Terentii, quum Glycerium civis attica reperitur, causa tollitur, ob quam Pamphili pater in filii nuptias consentire non potuit: nondum tamen ex eo certum est, patrem in has nuptias consensurum: sic etiam apud Sophoclem, cum Oedipus parricida repertus est, spectatores nondum sciunt, quid de Oedipo, qui simul reus, simulque rex et judex erat, futurum sit.

Hae tres partes majores dividuntur in *actus* plerumque quinque, ita tamen, ut pro re nata, modo pauciores, modo etiam plures esse possint, dummodo non sint nimis multi, qui spectatores fatigent. Numerus actuum pendet

ex actione ipsa. Actus enim finitur, quum actio quodammodo quiescit. In qua tamen actuum distributione cavendum est, ne fiant actiones separatae: sed omnes actus communi quodam vinculo inter se deligati sint, ut actio maneat una.

Longitudo singulorum actuum pendet et ab actione et a spectatoribus. Singulis enim actibus tantum actionis et adfectuum tribuendum est, quantum ad animos tenendos occupandosque opus est, et quantum spectatores cum delectatione aliqua ferre possunt.

Actus dividuntur in scenas. *Scena* vero est pars actus, in qua vel una vel plures personae loquentes inducuntur. Mutatis personis agentibus, mutatur etiam scena. Durante eodem actu theatrum non potest esse vacuum. Ineptum tamen est, personas ad obsidendum theatrum relinquere; sed causa vel abitus, vel adventus personarum ex ipsa actione fluere debet.

De *numero personarum* colloquentium nihil omnino certi constitui potest. Raro personae principales plures quam tres inducuntur colloquentes.

Monologi cautissime sunt adhibendi, quia raro sunt naturales. Nemo enim, nisi forte insaniat, secum ipse loquitur. Hinc monologi tantum in summo adfectu, qui insaniae quasi adfinis est, aut in adfectuum pugna, quum eadem persona quasi duplicem personam repraesentat, sunt naturales. e. c. Agamemnon de Iphigeniae caede deliberans; Agamemnon *pater* caedem velle non potest: Agamemnon *rex* eandem velle debet.

Saepius tamen monologi jure adhibentur eo etiam loco et statu rei, quo homines secum ipsis clara voce loqui non solent. Drama enim, uti diximus, non actio ipsa est, sed imitatio actionis. In quavis porro actione argumenta in utramque partem ponderare oportet: sunt autem et in vita communi casus, in quibus hanc ponderationem cum aliis instituere aut non expedit, aut non licet; sed solum nosmet ipsos in consilium adhibere, et nobiscum ipsis

 deli-

deliberare debemus. Hujus deliberationis secum ipso vices gerunt monologi. Si enim in dramate seu imitatione actionis tali rerum statu consilia cum aliis conferremus, verisimilitudo, quae quasi anima *dramatis* est, graviter laederetur.

Quum autem deliberatio hujus modi non nisi in rebus gravissimis locum habeat, quae animum vehementer quatiant: quivis monologus lyricus sit, ita ut singulae partes non apte cohaerere videantur, sed adfectus ideas intermedias, quae cogitatuum remotiorum vincula sunt, per saltum transiliat; ut ante de carmine lyrico monuimus. Monologos enim poësin lyricam nominant artis poëticae praeceptores.

Cavendum inprimis, ne monologus formam dialogi cum auditoribus prae se ferat; quod aeque puerile, et ab arte alienum est.

Vincula actuum apud veteres erant: chorus in tragoediis, et gesticulationes mimicae in comoediis.

Chorus erat multitudo hominum, qui actionis, in foro plerumque gestae, spectatores repraesentabat; nonnunquam etiam per choragum personae agentis vicaria fuit. Erat vero chori officium post singulos actus aliquid accinere, quod cum ipso dramate cohaerebat, ut docet Horatius epistola ad Pisones v. 193. et seqq.

Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, et haereat apte.
Ille bonis faveatque, et concilietur amicis,
Et regat iratos, et amet peccare timentes:
Ille dapes laudet mensae brevis; ille salubrem
Justitiam, legesque et apertis otia portis:
Ille tegat commissa, deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

In comoediis adhibebantur *mimi*, qui illud, quod in actu praecedente gestum erat, aut aliquid dramaticae actioni adfine, ad hilaritatem et risum excitandum, gesticulationibus suis exprimebant.

Recentiores in locum chori et mimorum substituerunt concentum, qui ab adfectu, per priorem actum dominante, incipiens, ad adfectum in actu sequenti regnaturum spectatores praeparet, ut animus nonnihil requiescat, quin ab omni adfectu avertatur. Sunt hodie, qui chorum Graecorum in tragoedias revocandum putent. Sed adhuc sub judice lis est.

3) Tertia dos actionis dramaticae est *verisimilitudo*, quae in actione et historica et ficta est necessaria. Actio, quae ex historia desumitur, ad sublimiorem gradum, quum poësis summa semper intendat, per fictionem verisimilem attolli, et characteres personarum agentium, praecipue character personae primariae in dramate exaltari debet.

Porro quum nullum factum historicum cum omnibus adjunctis suis ad delectationem excitandam, et ad finem, quem poëta sibi proposuit, consequendum sit aptum: poëta, omissis circumstantiis fini suo contrariis, alias aptiores per verisimilem fictionem addit.

In actione, quae tota fingitur, verisimilitudo ita est observanda, ut actio non pugnet cum natura, vel circumstantiis loci, temporis, cet. et ut in circumstantiis a poëta designatis actio talis vel possit, vel debeat fieri.

II. Quoniam actio in dramate non narratur, sed agitur: *verisimilitudo* etiam *in repraesentatione* attendenda est. Est vero repraesentatio verisimilis, si caute observentur a) *mores et characteres* personarum agentium, tam primariae, quam subordinatarum, b) *decentia vestitus*, et c) *scena* seu locus actionis.

a) Observatio *morum* et *characterum* postulat, ut eos adfectus, eamque agendi et loquendi rationem personis suis poëta tribuat, quam in natura observamus; ut monet Horatius in epist. ad Pisones v. 315. seqq.

Respicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.

Respicere igitur oportet discrimen morum, quod latissimum inducitur *ab aetate*, *a fortuna*, *a sexu*, *a natione*.

Primum oportet observare morum discrimen ab aetate, ut poëta cuique suum tribuat; ne forte seniles mandentur juveni partes, puerove viriles. Ita monet Horatius eadem epistola v. 155. seqq.

Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.

Tum depingit mores cujusque aetatis.

Mores aetatis puerilis:

Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.

Mores aetatis juvenilis:

Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque et amata relinquere pernix.

Mores aetatis virilis:

Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.

Mores aetatis senilis:

Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat;
Dilator, spe longus, iners, pavidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.

Secundum morum discrimen petitur a fortuna, quod maximam partem dependet ab educatione et vivendi ratione. Longe alia profecto educatione et vivendi ratione gaudent principes et subditi; nobiles et ignobiles; milites, cives urbani, et cives rustici. Et hic exemplar vitae respicere poëta debet.

Tertium discrimen morum petitur a *sexu*; quod partim et maximam quidem partem etiam ab educatione et vivendi ratione diversissima proficiscitur; partim etiam a corporis structura. Feminarum enim mens plerumque minus quam virorum excolitur, et vel propterea adfectibus

facili us abripitur. Deinde corporis earum structurà multo est delicatior, et ad omnes impressiones recipiendas multo promtior; denique ea est earundem vivendi ratio, ut negotia, quae peragunt, mentem aut parum aut omnino non adficiant, ac proinde animum a re, quae altius in illum descendit; avocare non possint: hinc adfectus etiam altiores agere radices, diuturnioresque esse solent apud feminas quam viros.

Quartum tandem morum discrimen repetitur a *natione*. Namque non solum *ingenerati mores* diversi sunt pro varia et diversa coeli aërisque temperie, et diversa humorum in corpore humano commixtione; sed *adquisiti* pro diversa populorum educatione, consuetudine, diversissimaque religionis et regiminis forma longe a se invicem differunt.

Ex quatuor his rebus, aetate scilicet, fortuna, sexu, natione oritur *Character*, seu id, quod alicui ita proprium est, ut in verbis et actionibus illius eluceat.

Est autem *Character* vel *singularis* seu *historicus*, vel *generalis* seu *fictus*.

Singularis depingit individua secundum veritatem historicam. Talis est character Catilinae apud Sallustium, Hannibalis apud Livium, Vespasiani apud Suetonium. Loudons Character ꝛc.

Character *generalis* oritur, quum, quod in pluribus individuis ejusdem generis sparsum reperitur, personae alicui fictae collectum attribuitur. v. c. Character avari. Der feine Verleumder ꝛc.

In formandis characteribus tres proprietates observandae sunt, *convenientia*, *similitudo* et *constantia* characterum. *Convenientia characterum* consistit in eo, ut personae nostrae eas proprietates tribuamus, quae ei soli ita conveniant, ut per has ab aliis distinguatur. In quo Homerus excellit. Id docet Horatius v. 112. seqq.

Si dicentis erunt fortunis absona dicta:
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum, Davusne loquatur an heros;

Maturusne senex, an adhuc florente juventa
Fervidus; an matrona potens, an sedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis.

Similitudo characterum consistit in eo, ut character conveniat vel cum historia in personis veris, vel cum natura in characteribus generalibus seu personis fictis, ut docet Horatius. v. 119. seqq.

Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem:
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non adroget armis.
Sit Medea ferox invictaque; flebilis Ino;
Perfidus Ixion; Io vaga; tristis Orestes.

Constantia characterum petit, ut eaedem proprietates, quas personae nostrae tribuimus, usque ad finem fideliter observentur, neque unquam fiat characteris commutatio per solam voluntatis conversionem minime naturalem, ut docet Horatius. v. 125. seqq.

Si quid inexpertum scenae committis, et audes
Personam formare novam: servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.

Unum id addimus, characteres *historicos*, licet poëta eosdem et possit et debeat exaltare, non adeo esse extollendos, ut cum historia pugnent; characteres vero *fictos* debere esse naturales, ut sui exemplar in rerum natura reperiant. Pugnat vero cum natura, characterum fieri immutationem per solam voluntatis conversionem.

Recentiores contra hanc naturae legem peccant saepissime, qui e. c. ex avaro repente faciunt liberalem, vel patrem in filii nuptias consentire renuentem, in easdem, quin causa detrectationis tollatur, consentire faciunt, haud aliam ob causam, quam ut drama finiatur.

Verisimilitudo repraesentationis petit secundo decentis *vestitus scenici* observantiam, ut non tantum ad nationum, sed etiam aetatis et dignitatis diversitatem, et ad cetera, quae morum discrimina dicimus, diligenter respiciatur. Neque enim Germanum veterem hodierna veste gallica,

neque senem et juvenem simili vestium genere uti decet. Si forte, quo vestitu personae uti debeant, ex historia non certo poterit deprehendi, verisimilitudo erit attendenda.

Vestitus scenicus alius erat apud Graecos, alius apud Romanos. In tragoedia Graeci syrmata, Romani praetextas: in comoedia Graeci pallia, Romani togas induebant. Hinc etiam denominationes: *fabula syrmatica*, pro tragoedia graeca; *fabula praetexta*, pro tragoedia romana; *fabula palliata*, pro comoedia graeca; *fabula togata*, pro comoedia romana.

Calceamentorum quoque genus pro argumenti diversitate erat diversum. In tragoedia utebantur *cothurnis*, alto calceamentorum genere; in comoedia *soccis*, humili calceamentorum genere. Hinc saepe *cothurni* pro tragoedia, *socci* pro comoedia ponuntur.

Ad repraesentationis verisimilitudinem necessaria etiam est *scena*, seu locus, in quo actio geritur, in quo definiendo respicere oportet ad circumstantias personarum, temporum et locorum. Alia et diversa est habitatio regis et rustici; vel Romanorum et veterum Germanorum; vel Germanorum veterum et recentiorum.

Theatra veterum Romanorum tribus constabant partibus: *theatro*, *orchestra* et *amphitheatro*.

Theatrum, erat locus actionis, in quo erat *proscenium*, ubi personae agentes recitabant et agebant. *Orchestra* erat locus ante proscenium humilior, in quo Mimi gesticulationes edebant. *Amphitheatrum* locus spectatorum, in quo viginti et unum subsellia fuerant posita. Post singula septena subsellia spatium aliquod vacuum interjacebat, quod dictum est *praecinctio*.

Titulus dramatis quo brevior et simplicior, eo melior est. Plerumque petitur a nomine personae primariae, e. c. *Oedipus*, vel a nomine patronymico, e. c. *Andria*; vel ab argumento actionis, e. g. *Captivi*.

Dramatis praecipuae species, quarum discrimen non

solum in eventus diversitate, sed vel maxime in natura et conditione actionis ipsius positum est, sunt *tragoedia* et *comoedia*, quorum utrique adfine est *drama musicum*, vulgo opera.

De Tragoedia.

Tragoedia, quoad nomen, est cantus ob hircum, ex τραγος et ᾠδη; quia praemium certaminis erat hircus. Quoad rem tragoedia Graecorum et Romanorum erat *imitatio actionis unius, magnae, integrae, illustris, verae, cum conversione fortunae a felici in infelicem, ad commiserationem et timorem excitandum, ipsoque illorum adfectuum motu purgandum.* Veteres enim actiones tragicas non nisi historicas et magnas, et a viris illustribus profectas in scenam dabant.

Apud recentiores dignitas actionis non tam a claritate generis et ordinis, quam a magnitudine animi et virtutum praestantia dependet. Hinc actio magna et tragica profecta a viris principibus, dicitur tragoedia *heroica*; quodsi similis actio proficiscatur a personis tenuioribus, seu non principibus, dicitur tragoedia *civilis*.

Est igitur nobis tragoedia *imitatio actionis unius, integrae, magnae, plerumque verae, cum conversione fortunae in infelicem exitum, ad commiserationem et timorem excitandum, ipsoque illorum adfectuum motu purgandum.*

Quum dicitur actio *magna*, id praecipitur, ut actio tragica per multas difficultates et colluctationes provoluta, magnum eventum infelicem habeat, qui et commiserationem cum persona tragoediae primaria, et timorem in spectatorum animis excitare possit. Ad quod non requiritur, ut actio proficiscatur a viris principibus. Principes enim plerumque per eos errores, quos spectatores, ceu personae tenuioris sortis, perpetrare ne possunt quidem, in infelicitatem delabuntur; hinc timor, ne eadem sors sinistra sibi obtingat, in spectatoribus nullus est. Quum vero personae civiles, nobis propiores, infirmitate humana, cujus et nos conscii nobis sumus, infelices redduntur:

spectator ejusdem aut similis sibi erroris conscius, eadem sibi tristia evenire posse timebit. Quodsi vero principes per errores eos, quos non tamquam principes, sed homines commiserunt, fiant infelices: non tantum commiseratio, sed etiam timor erit summus.

Actio plerumque est *vera*; h. e. vel tota ex historia repetita, poëtice tamen exaltata; vel fundamento historico nixa. Nonnunquam etiam tragica actio fingitur tota, modo ita fingatur, ut *subjective*, ut ajunt, vera sit, hoc est, ut spectatoribus vera esse videatur. Potior tamen est actio etiam *objective* vera, hoc est, cujus argumentum ex historia petitur.

Quodsi enim actio vera repraesentatur, spectatores, qui animo parato accedunt, putantes, se actionis vere gestae repraesentationem visuros, facilius sibi illusionem fieri patiuntur, et illa etiam, quae poëta ad actionem tragice exaltandam adfingit, vera esse censebunt. Praeterea adfectus per factum historicum excitati sunt diuturniores: et, quoties spectator hujus actionis reminiscitur, sponte revertuntur. Denique poëta actionem veram tractando id utilitatis consequitur, ut auditores etiam in mediam rem, ut nimirum notam, abripere possit.

Ut tamen poëta majores actionis circumstantias omittere, immutare, aliasque fini suo aptiores, salva verisimilitudine, adfingere possit: actio tempore sit remota. In facto enim, quod quasi ante omnium oculos adhuc versatur, sine laesione illusionis necessariae, circumstantiae majores neque mutari, neque adfingi possunt.

Commutatio fortunae debet fieri magna et quidem in infelicem. Finis enim tragoediae non tantum commiserationis et timoris excitatio est, sed etiam commiserationis et timoris purgatio ipso, uti diximus, illorum adfectuum motu. Quae purgatio quomodo efficiatur, explicandum.

Videmus hominem levi sua culpa aut errore miserum; oritur inde commiseratio. Homines sumus, nil humani a

nobis alienum putamus; oritur inde timor. At vero quum videmus hominem illum magnis viribus contra sortem iniquam luctantem, et in misero suo statu, fortitudinis, temperantiae virtutisque sibi conscium, hacque recti conscientia elevatum et adhuc felicem: minus profecto miser nobis adparet; atque admirando virtutem illius, commiseratio nimia in nobis minuitur, purgaturque.

Tum exemplo herois edocti, majores inesse naturae humanae contra sortem iniquam vires, quam ut vita illa praestantior in animo posita, virtus nempe, aut fortunae adversitate aut etiam morte eripi homini possit, evehimur admiratione supra nos ipsos, quo timor etiam in nobis minuitur, et purgatur.

Tragoediarum repraesentatione spectata non dejectior et ad luctum propensior, sed fortior et quasi triumphans reddatur fortis virorum animus. Ecce, dicit Seneca, spectaculum Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus!

E quo fine tragoediae efficitur, *subjectum* ejusdem non esse illum, qui sine omni culpa sua delabitur in infelicitatem: quia sine ullo fructu timeremus, eadem nobis immeritis et inocentibus tristia posse evenire. Sed neque ille, qui per scelera et flagitia in infelicitatem se ipse dedit praecipitem, potest esse persona primaria tragoediae; quia justitia, scelera puniens, tollit commiserationem, omnemque evertit timorem. Nemo enim, nisi homo perditissimus, eadem sibi tristia eventura timebit.

Quare subjectum tragoediae est heros ille, qui, nec totus innocens, nec valde reus, causa sortis suae sinistrae ipse exstitit per tales errores, quos humana natura non satis cavit, et quibus veniam facillime impertimur. Etsi enim his erroribus, ceu fonti infelicitatis indignamur: haec tamen indignatio non tollit commiserationem, et facile evanescit; quia ipsi experientia nostra docemur, quam prona in hujuscemodi errores et inconsiderantias esse soleat humana fragilitas.

Eo autem facilius his erroribus veniam damus, quo

tristiores eorundem sunt effectus. Quare actionem oportet esse vere tragicam, h. e. grandem et atrocem, fortunaeque commutationem summam, ut heros tragoediae in malorum profundum demergatur et submergatur.

Illa tamen, quae sunt valde atrocia, et sine laesione illusionis in scena exhiberi non possint, intus agenda et acta cum spectatoribus sunt communicanda, ut monet Horatius epistola supra laudata v. 182. seqq.

Non tamen intus
Digna geri promes in scenam, multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Aliam tempus genuit tragoediae speciem, quae *pathetica* dicitur; cujus finis est solum adfectum commiserationis et excitare et purgare in spectatorum animis. Subjectum ejusdem heros etiam omnino innocens esse potest. Commutatio tamen fortunae debet fieri in felicem statum. Quodsi enim heros tragoediae omnino innocens in profundum malorum demergeretur: jam non commiseratio sola, sed potius indignatio in spectatorum animis dominaretur. Sed dum commiserescimus heroi, non digna ferenti, qui cum adversa sorte invicto animo colluctatur, tandemque e malis, quae ipsum perditura videbantur, victor evadit: erigimur, simulque ad sortem sinistram perferendam reddimur fortiores, videntes, virtutem ipsamque innocentiam premi quidem, non tamen opprimi posse. Sed cum poësis semper summa ex fine suo intendat; haec tragoediae species remissior, quae nulla veterum auctoritate nititur, haud digna artis praeceptoribus videtur, quae *tragoedia* nominetur; hinc eandem generali *dramatis* nomine adpellant.

Sermo tragoediae argumento et personis agentibus eorumque adfectibus est adcommodandus; in adfectibus quidem animum exaltantibus, e. c. *in adfectu irae, sermo* est audacior, et sublimior, ut ait Horatius, *ibid.* v. 90. 91.

Indignatur item privatis, ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.

In adfectibus animum deprimentibus e.c. *adfectu tristitiae*, sermo est tenuior et pedester, ut ait Horatius v. 95.

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.

Graeci et Romani tragoedias scripserunt versu jambico, choros vero metro lyrico. Germani vel sermone soluto vel jambis quinque pedum utuntur.

Praecipui poëtae tragici sunt Graeci: Aeschylus, Sophocles, Euripides. A Romanis supersunt tragoediae, quae nomine Senecae veniunt. Germanorum praecipui: Lessing, Goethe, Schiller, Collin, Weisse, Leisewitz, Gerstenberg aliique.

De Comoedia.

Comoedia definitur *imitatio actionis verisimilis, civilis, cum conversione fortunae in exitum felicem, spectaculo proposita, ad mores corrigendos, plerumque ope ridiculi.*

Actio debet esse *verisimilis*, hoc est, tota ita ficta, ut vitia vera, quae in pluribus hominibus sparsa reperiuntur, personis fictis, ex quarum sermone et actione eluceant, tribuantur. Ficta requiritur actio, ut finis comoediae, scilicet morum emendatio, obtineatur. Vera enim actio, risui publico exposita, parit indignationem, omnis frugis expertem. Praeterea, quoniam vitia ita exaltantur in comoedia, ut, quidquid persona vitiosa vel loquatur, vel agat, vitium ridendum redoleat: ille, cujus vitium ridetur, injuriam sibi fieri, alienumque sibi adfingi vitium arbitrabitur.

Actio debet esse *civilis*, hoc est, personae principales, in quibus vitia risu digna exhibentur, non sint illustres, aut quae tali munere, quod ad commune bonum venerationem quamdam e natura sua postulet, fungantur. Quodsi enim personae hoc officio fungentes ridiculae redduntur, ipsum etiam munus quodammodo exponitur risui. Praeterea vitium, poëtice exaltatum, in personis principibus desinit esse ridiculum, quia ex eo pernicies plurimis imminet.

Conversio fortunae fieri debet in exitum felicem: non tamen illae personae, in quibus vitium ridiculum propo-

nitur, finem suum consequi, vel felices fieri debent; quod fini comoediae, morum scilicet correctioni, foret contrarium: quin imo puniendae sunt quodam modo, quum persona primaria, cui obstabant in felicitate consequenda, scopum sibi praefixum adsequitur.

Quamquam *finis* comoediae non sola est risus excitatio, sed potius imitatio et repraesentatio morum et adfectuum universe, ac proinde omnium eorum, quae in actionibus hominum aut decentia et amabilia, aut humilia et ridicula sunt: praecipue tamen tendit comoedia ad mores per risum et laetitiam emendandos, quia ridendo mores facillime corriguntur: contra aperta insectatio animos exacerbat. Quum enim ridemus vitia in aliis, errores etiam nostros risu dignos censemus. Rideri vero, quod semper cum contemtu quodam conjunctum est, nemo vult.

Ex quo adparet, non omnem actionem civilem vere comicam esse, sed tantum illam, cui aliquod ridiculum inest. Ridiculum vero est internum quid, quod in ipsa actione continetur. Hoc internum suffulciri debet per facetum et sales sermonis, conjunctos cum urbanitate et observatione decentiae.

Ridiculum illud, internum actioni, est vitiosum quiddam minusque solitum, quod tamen verum damnum non adfert. Exaltatur ridiculum ad ridiculum comicum quatuor modis:

1) Quum vitiosae actiones alicujus generis, e. c. *avaritiae*, quae in vita communi aliis actionibus permixtae sunt, ita coacervantur, ut omnis actio vel sermo personae ridiculae vitium hoc ridiculum redoleat.

2) Quum ridiculum eo usque extollitur, ut verisimilitudinem fere transgredi videatur. e. c. Avarus cereum superfluum accensum flatu oris exstinguit; denuo accensum denuo exstinguit; tertio accensum abripit, et in vestis suae sacco reponit.

3) Quum per antithesin vitia vitiis contrariis, e. c. *avarus* et *prodigus*, vel virtutes vitiis opponuntur, e. c. *liberalis* et *avarus*.

4) Quum res levis et in se ridicula sublimi et magno modo tractatur, ut rei levitas eluceat.

In tractando ridiculo caveat poëta, ne immunda aut ignominiosa dicta crepando, risu diducere rictum spectatorum, moresque potius corrumpere quam emendare laboret.

Quum comoedia dicitur imitatio actionis spectaculo proposita, id petitur, ut omnes leges tam actioni quam repraesentationi dramatis praescriptae religiose observentur. Omnia igitur, quae et de vestitu scenico, scena *cet.* et de actionis partibus, protasi, epitasi, ac catastrophe, actibus, scenis, *cet.* supra de dramate dicta sunt, huc pertinent.

Id solum hic notandum, comoediae, quae est imitatio actionis civilis, implicationem et solutionem faciliorem quam in tragoedia, et talem esse debere, ut in vita communi facile accidere queat. Exsistit quippe *implicatio* ex solerti connexione factorum singularium, quibus spectator in actionis eventum intentus, suspensus tenetur, donec superatis sensim difficultatibus, persona primaria scopum sibi praefixum adsequatur, et fabula *solvatur.*

Sermo characteribus et moribus personarum agentium earumque adfectibus et characteribus ita respondeat, ut ad laetitiam et hilaritatem totus sit ordinatus, quin tamen unquam contra bonos mores et decentiae observationem peccet. Itaque sermo erit plerumque pedester, nonnunquam tamen etiam adsurget ad gravitatem; namque, ut Horatius ait, epist. ad Pison. v. 93. 94.

Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

Versus Graecis in comoedia usitatus erat jambus senarius; Latinis jambus liberrimus; Nostri sermone soluto comoedias scribere solent.

Comici Graeci sunt: Aristophanes, Menander, Philemon. Latini: Plautus et Terentius. Germani: Lessing, Weisse, Brandes, Engel, Goethe, Schroeder, Stephanie, Iffland, Kotzebue, aliique complures.

De Dramate musico, vulgo, *Opera.*

Ex tragoedia veteri, quae choris et canentium et saltantium erat instructa, ortum videtur esse *drama musicum*, seu *Opera*; quod tamen quoad formam, exterioremque speciem a tragoedia vetere est diversissimum. Originem suam debet Italis, qui seculo XV. exeunte hoc dramatis genus invenerunt; eam autem, qua hodie gaudet, formam eidem, non nisi exeunte seculo XVI., tribuerunt.

Est vero drama musicum *carmen lyrico-dramaticum, in quo scenica actionis repraesentatio conjuncta est cum cantu et musica; ille verba poëtae modulatur, haec prosequitur.*

Species dramatis musici sunt duae: *Opera seria* et *opera comica.*

Drama musicum *serium* tractat *actionem vel solum illustrem*, praecipue respectu personarum agentium, quae plerumque desumitur ex historia; vel *actionem illustrem simulque mirabilem*, quae potissimum ex mythologia petitur; nonnunquam ex historia, quae per mythologiam exaltatur ad actionem mirabilem. Hinc etiam dii personae agentes in dramate musico serio esse possunt. Ad solvendas tamen difficultates in fine dii non adhibeantur, nisi jam in ipsa actione vel adjuvanda, vel impedienda occupati fuerint.

Effectus hujus dramatis in excitanda delectatione maximi sint oportet, quum artes elegantiores vix non omnes eidem ornando deserviant; namque praeter musicam exquisitissimam et saltus eidem proprius est, et architectonice et ars pictoria exornando theatro operam suam locant.

Drama musicum *comicum* repraesentat actionem aut penitus fictam, aut e vita communi hominum inferioris ordinis petitam. Plerumque tamen tota inventio debetur poëtae ingenio.

Dramati musico propria sunt

1) *Sermo poëticus*, seu potius lyricus, praecipue in choris et cantibus, quos *arias* dicunt. In dramate comico, exceptis ariis et choris, Germani non raro prosa utuntur.

2) *Chorus*, seu multitudo hominum canentium. Chorus non tantum in fine actuum singulorum, sed etiam nonnunquam decurrente eodem actu adhibetur; plerumque etiam drama inchoat.

3) *Saltus*, seu multitudo saltantium in dramate musico serio. Chorus enim, in actione dramatis musici illustris aut mirabilis, animi sui sensa non solum modulationibus vocis explicat, sed et in saltum et tripudia transit.

Reliqua omnia cum Tragoedia et Comoedia habet communia; et ea, quae de dramate in genere diximus, huic dramatis speciei conveniunt.

Scriptores praecipui dramatis musici serii sunt apud Italos: Zeno et Metastasio: apud Germanos: Wieland, Jacobi. Scriptores dramatis musici comici apud Italos sunt plurimi, qui tamen, si Zeno, Goldoni, Pariati, Gigli et Casti excipiamus, in poëtis nominari haud merentur: apud Germanos sunt: Weisse, Schiebler, Michaelis, Gotter, Engel, Meisner.

CAPUT XII.

De Epopoeia.

Epopoeia, seu fictio carminis heroici, est *narratio poëtica actionis unius, totius, verisimilis, illustris, mirabilis, quae et moveat et ad magna excitet animum*; seu, ut nos dicimus, eine interessante Handlung. Quum epopoeia dicitur *narratio*, constituitur ejusdem discrimen a dramate, quod actionem repraesentat. Dicitur vero narratio *poëtica*, quia poëta omnem actionem exaltat per fictionem.

Argumentum seu *materia* est actio libera, seu opus consilio et electione susceptum. Hinc virtutes et vitia, aliaeque personae allegoricae, quae talem actionem patrare nequeunt, non inducantur ut personae in epopoeia agentes. Quodsi tamen personae alicui allegoricae locus sit in epopoeia, nunquam concurrat agens cum personis ordinariis.

Ut actio libera ad fabulam epicam apta sit, necessariis

dotibus instructa esse debet, quae sunt *unitas*, *integritas*, *verisimilitudo*, *dignitas* et *mirabilitas*.

1) *Unitas* actionis petit, ut actio ad unum principalem finem sic ordinata sit, ut fines speciales actionum secundariarum ad finem principalem tendant. Unitas actionis principalis est necessaria; quia plures actiones principales attentionem lectoris distrahunt. Quid? quod nulla actio est principalis, si plures sint.

Unitas actionis non excludit actiones secundarias, quae tendunt vel ad adjuvandum, vel ad impediendum finem actionis primariae. Haec enim magna esse debet, qualis sine magnis impedimentis et adminiculis, quae actionibus secundariis continentur, esse nequit. Ejusmodi actio secundaria, quae finem actionis primariae, scilicet fundationem Romani imperii, impedire conatur, est in Virgilii Aeneide *Amor Didonis*, cet.

Actiones vero secundariae, quae finem argumenti primarii neque adjuvant, neque impediunt, dicuntur actiones episodicae. *Episodia* igitur sunt *actiones*, *quae argumento primario sic adnectuntur*, *ut illis sublatis salva remaneat actio principalis*.

Adnectuntur vero episodia actioni principali per connexionem vel internam, vel externam. *Interna* connexio est, quum episodia ex circumstantiis actionis principalis fluunt. Ejusmodi episodia sunt in Virgilii Aeneide: *Ludi ad patris tumulum instituti*; *Aeneae descensus ad inferos*, cet. Connexio *externa* actioni principali adnectit actiones secundarias per vincula externa. Tale est episodium in Virgilii Aeneide de *Hercule* et *Caco*. Connexio externa, quae in dramate, quod actionem repraesentat, locum nullo modo habere potest, eum tamen in epopoeia habet; quia in narratione multa conjungi possunt, quae loco et tempore sunt remotissima, et quae inter se ex natura sua minime cohaerent; e. g. Hercules et Cacus tempore sunt valde remoti ab Aenea, eorumque facta nullo modo cohaerent.

Episodia rite tractata non laedunt unitatem actionis primariae, quia neque finem primariae actionis evertunt, neque lectoris animum ab attentione ad argumentum principale avertunt. Episodia ex actione principali fluentia attentionem ad argumentum primarium pessumdare non possunt. Sed neque illa, quae per connexionem externam cum actione primaria cohaerent, attentionem avertunt, modo non sint nimis longa. Id porro in episodiis attendendum, ut loco opportuno, quum actio quodammodo quiescit, nunquam vero, quum fervet actio, tamquam diverticula adhibeantur.

2) Secunda dos est *integritas*, quam ipsa actionis unitas postulat. Unitas enim actionis consistit in unitate finis, quem actio, sine exitu et eventu pleno, nullum habere potest. Quid per integritatem actionis intelligatur, supra jam de narratione dictum est. Integritatem actionis inspicere libet in Virgilii Aeneide:

Initium. Aeneas incensa Troja, collecta superstitum Trojanorum manu, jussu deorum in eam regionem, unde majores sui venerant, abire statuit.

Medium. Junone infesta, infinitos terra marique labores objiciente, tandem in Italiam adpulsus, cum Rutulis bellum grave gerit pro Lavinia sponsa et regno Italiae obtinendo.

Finis. Aeneas singulari certamine Turnum occidit, bellum Italicum simul conficit, simulque Laviniam sponsam ac regnum Italiae obtinet.

3) Tertia dos est *verisimilitudo*, sive actio vera, sive tota ficta sit. Namque in actione etiam vera, quod saepius jam diximus, multa fini poëtae contraria omittenda et per alia ad finem praefixum consequendum aptiora supplenda sunt. Haec tamen ipsa cum verisimilitudine ita actioni historicae adfingi debent, ut fictio vix adpareat. Quare omnia, quae cum historia vel circumstantiis temporis et locorum pugnant, verisimilitudinem offendunt, ut supra de narratione diximus. Quin veri-

similitudo in actione, quae tota ficta est, observanda sit, nemo, nisi fortasse is, qui argumento epopoeiae actionem tantum veram adsignandam putat, poterit dubitare. Sed ad animi motus, animosque ipsos ad magna excitandos, non semper requiritur actio *objective vera*, seu historica, sed sufficit etiam *subjective vera*, seu, quae ita fingitur, ut lectoribus vera esse videatur.

4) Quarta epopoeiae dos est *dignitas*, quae petit, ut actio sit illustris. Illustris vero est actio vel *respectu personarum agentium*, vel *respectu sui*, seu *in se*.

Respectu personarum agentium illustris actio dicitur, quum personae agentes primariae sunt illustres. Non tamen omnis actio personarum illustrium est illustris, sed tantum ea, quum personae illustres ceu illustres agunt; e. c. Quum rex prandet, vel deambulat, non peragit illustrem actionem, quia non tamquam persona illustris, sed tantum ceu homo prandet vel deambulat.

Respectu sui vel *in se* actio illustris est, quae vel ob superatas et multas, et magnas difficultates vere magna est, vel quae magnos effectus magnumque eventum habet. Ut actio magnos effectus et eventum magnum habeat, a viris illustribus proficisci debet; quia persona humilior talem actionem, ex qua vel salus, vel pernicies multorum dependeat, peragere ne potest quidem. Quodsi tamen actio hujuscemodi magna proficiscatur a persona civica: per hanc ipsam actionem desinit esse persona humilis, et fit illustris et quodammodo princeps. Idipsum ratio docet, et historia confirmat.

5) Quinta, et epopoeiae propria dos est *mirabilitas*, ut actio sit mirabilis, et in lectorum animis admirationem pariat. Dicitur vero mirabile in genere illud, quod novum simul, simulque insolitum, ob occultas causas percellit animum.

Mirabile vero *epicum* apud veteres est, quum agentes superioris ordinis concurrunt in actione perficienda cum agentibus ordinariis. Hoc mirabile apud ipsos locum ha-

buit, quia neque cum verisimilitudine, neque cum fine epopoeiae, scilicet cum excitatione lectorum ad magna audenda pugnabat. Non erat contra verisimilitudinem, quia dii veterum vix sublimiores viris magnis, atque cum iisdem et agere et epulari putabantur. Non erat contra finem epopoeiae, quia iidem et ad imitationem et ad magna invicto animo audenda excitare poterant. Iisdem enim adfectibus, quibus homines sunt obnoxii, agi credebantur; et hinc ad actiones humanas, quae solae homines ad imitationem excitare possunt, patrandas apti erant.

Apud recentiores hoc mirabile non facile locum habet, quia apud nos offendit verisimilitudinem et finem epopoeiae. Contra verisimilitudinem est: quia deos veterum jam nemo credit: et quia angeli aut daemones, quos deorum loco agentes inducere posset poëta, et multo sublimiores hominibus sunt, et cum iisdem palam et aperte nunquam agunt. Contra finem epopoeiae est; quia angeli et daemones ab adfectibus humanis immunes, actiones vere humanas, quae solae animos tangunt, et ad magna audenda alliciunt, perficere nequeunt.

Hinc mirabile epicum consistit in actione vere magna, quae per summas et insolitas difficultates, humanis viribus fere majores, et per insolitam et inopinatam solutionem, quae exspectationem superet, animos percellit. Quodsi tamen urgente necessitate, hoc est, quum vires humanae ad opus exsequutioni mandandum sufficere non possunt, agentes superioris ordinis inducendi sunt; eorum characteres ad humanos adeo accedunt, ut non multum dissimiles, et adfectibus humanis obnoxii videantur: neque unquam cum personis agentibus ordinariis simul agant.

6) Sexta dos actionis epicae est, ut actio *lectorum animos et moveat, et ad magna excitet*, seu quod Germani dicunt: **die Handlung muß interessant seyn.** Movet vero actio epica nos, vel quatenus homines sumus, nihilque humani a nobis alienum est, vel quatenus, ejusdem aut civitatis, aut nationis vinculo connectimur, vel quatenus eorundem sacrorum sumus participes.

Partes *internae* fabulae epicae sunt : *nexus* et *solutio*; tum *personae agentes.*

Nexus, seu *implexio* est *collectio subsidiorum ad actionem exsequendam, difficultatumque, quae finem actionis aut frustrari, aut evertere conantur.* In actione magna magnam implexionem esse oportet : cavendum tamen est, ne sit confusa, ex qua solutio non nisi violenta, nunquam vero naturalis, seu in ipsa implexione fundata, oriri potest.

Implexio est duplex, *primaria* et *secundaria.* Implexio *primaria* directe opponitur fini actionis : et quoniam actio est una, una etiam est implexio primaria. Implexiones *secundariae* sunt effectus primariae implexionis; et quemadmodum plures sunt actiones secundariae, sic et implexiones. e. c. Aeneidos Virgilianae *finis* est : condere regnum in Italia. *Implexio primaria* est odium et ira Junonis, quae hoc regnum condi non vult. *Implexiones secundariae* sunt effectus hujus odii et irae, e. c. itinera, naufragia, amor Didonis Aeneam in Africa retinere conantis, fortitudo Turni, *cet.*

Solutio est remotio impedimentorum, quae fini primariae actionis obstant, et plenus rei eventus.

Solutio fit per peripetiam seu plenam fortunae commutationem; nonnunquam et per agnitionem. Licet agnitio non possit esse solutio: adjuvat tamen ipsam: quia per agnitionem devenitur in rei notitiam, ex qua fortunae commutatio fit.

Peripetia ipsa, ut sit verisimilis, debet esse 1) *naturalis*, seu ex ipsa actione orta 2) *subita* tamen et inexspectata, non vero jam ita e longinquo praeparata, ut lector, quem actio habitura sit exitum, jam pridem praeviderit; 3) peripetia sit *vera* seu commutatio rerum omnium, ut omnes difficultates, quae fini actionis obstabant, removeantur.

Personae agentes in actione magna exsequenda debent esse plures. Quoniam vero plures personae primariae plures et fortasse etiam diversos intenderent fines: unitas actionis petit, ut persona primaria sit *una*, reliquae

subordinatae. Et quoniam implexio primaria una tantum esse potest: una etiam est persona primaria, quae fini actionis est contraria, reliquae itidem huic subordinatae aut sint, aut videantur.

Characteres personarum agentium, quarum aliae actionem adjuvare, aliae eandem impedire conantur, varii esse debent. Et quoniam personas secundum characteres suos et agere, et loqui oportet: characteres personarum in fabula delineanda et elaboranda cautissime sunt attendendi, ut singulis personis ea actionis pars designetur, quae ipsis conveniat, et sermo singulis conveniens et proprius tribuatur. In designando personae primariae charactere curandum est, ut prae ceteris emineat: et jam ab omni labe immunis, uti apud Klopstockium, jam virtute quidem, sed humana, quae naevis non caret, insignis exhibeatur.

Partes externae epopoeiae sunt: *Propositio*, *invocatio* et *narratio*; tum *eloquutio* et *stylus*.

Propositio est veluti accessio ad rem, quae lectores reddit dociles et attentos, exponens non tantum finem actionis primariae, sed etiam implexionem primariam, et secundariarum praecipuas; e. g. Virgilius propositione sua non tantum fundationem regni in Italia, sed Junonis etiam iram, hujusque irae effectus praecipuos exponit. Aeneid. I. 1. seqq.

Arma virumque cano, Trojae qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinia venit
Litora. Multum ille et terris jactatus et alto
Vi superum, saevae memorem Junonis ob iram:
Multa quoque et bello passus; dum conderet urbem, cet.

Sic item Klopstockius non tantum genus humanum per Messiam servatum, sed etiam Satanae et Judaeorum odium propositione sua lectores docet:

Sing, unsterbliche Seele, der sündigen Menschen Erlösung,
Die der Messias auf Erden in seiner Menschheit vollendet,
Und durch die er Adams Geschlechte die Liebe der Gottheit
Mit dem Blute des heiligen Bundes von Neuem geschenkt hat.
Also geschah des Ewigen Wille. Vergebens erhub sich
Satan wider den göttlichen Sohn; umsonst stand Juda
Wider ihn auf: er thats, und vollbrachte die große Versöhnung.

Propositio, quae in epopoeia, ceu opere longo, omnino necessaria est, debet esse 1) *simplex*, non controversa, ut finis actionis facile intelligatur; 2) *brevis*, ut fideliter teneatur; quia lectores eadem, fili Ariadnei instar, per totius operis decursum opus habent; 3) *verecunda*, quia stylus materiae adcommodandus est.

Propositio jam absolute ponitur, uti apud Virgilium et Klopstockium, jam invocatione continetur, ut apud Homerum.

Est vero *invocatio opis coelestis imploratio, ad opus susceptum feliciter exsequendum.* In epopoeia, quae secreta consilia, multa alia arcana, quae mens humana scire nequit, narrare debet, invocatio est necessaria, ut poëta illud, quod ignorat lectoresque docere cupit, ab aliis doceatur. Hinc veteres plerumque Musas invocarunt; e. c. Virgilius in Aeneide. I. 8. seqq,

Musa mihi causas memora, quo numine laeso,
Quidve dolens regina deum, tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit.

Recentiores, qui Musas, aut Apollinem deosque alios, quorum numina nemo credit, non possunt invocare, vel genium tutelarem loci, in quo actio gesta est, vel potissimum mentem humanam, quae divinae originis est, invocant, ut illud, quod intellectus ignorat, suppleat ope imaginationis. Sic Klopstockius invocat modo Sionitidem, modo animum humanum:

Aber, o That, die allein der Allbarmherzige kennet,
Darf aus dunkler Ferne sich auch dir nahen die Dichtkunst?
Weihe sie, Geist-Schöpfer, vor dem ich hier still anbethe,
Führe sie mir, als deine Nachahmerinn, voller Entzückung,
Voll unsterblicher Kraft, in verklärter Schönheit entgegen.
Rüste mit deinem Feuer sie, du, der die Tiefen der Gottheit
Schaut, und den Menschen aus Staube gemacht zum Tempel
sich heiligt! ꝛc.

Invocatio non tantum sub initium operis ponitur sed in decursu quoque, quoties materia gravior aut difficilior

canenda venit, saepius repetitur. Sic Virg. Aeneid. VI. 264. seqq. adgressurus inferorum descriptionem:

Di, quibus imperium est animarum, umbraeque silentes,
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte silentia late;
Sit mihi fas audita loqui: sit numine vestro
Pandere res alta terra et caligine mersas.

Sic Klopstockius post descriptionem inferorum L. III. v. 12. seqq.

O du, die zu der Hölle mich führte, Sängerinn Sions,
Und nun meinen noch bebenden Geist zurückgebracht hast;
Du, die vom göttlichen Blick die ernste Gerechtigkeit lernte,
Aber auch ihren Vertrauten mit süßer Freundlichkeit lächelt,
Heitre die Seele, die noch von ihren Gesichten umgeben
Innerlich bebt, mit himmlischem Licht', und lehre sie ferner
Ihren erhabnen Versöhner, den Besten der Menschen, besingen.

Narratio constituit ipsum corpus epopoeiae, quae est actionis narratio. Quoniam vero actio epica magna est, quae per multas vicissitudines ad finem provolvitur: ipsa etiam narratio, quae ubique aequalis cum materia procurrere debet, multiplici gaudet varietate, ita, ut jam sublimis, jam tenuior, modo horrifica, modo laeta exsultet. Praeter ea, quae supra de narratione poëtica in genere diximus, requiritur, ut narratio in epopoeia sit vere dramatica, hoc est, non tantum personas agentes et loquentes, quantum fieri potest, semper exhibeat, sed etiam ordine poëtico seu artificiali, de quo supra diximus, sit instructa: quia ordo poëticus et ad delectandum et ad animi motus excitandos multo aptior est, quam historicus. Solutione perfecta, et plena rerum commutatione facta, desinit actio; et peracta actione necessario etiam desinit actionis narratio: neque quidquam ultra addere licet.

Eloquutio et *stylus* universe magnitudini actionis et dignitati personarum agentium ubique respondeat, ita tamen, ut stylus, quum et maxima actio non aeque secundum omnes partes suas sit magna, nonnunquam remittatur.

Ornant praecipue eloquutionem epicam similitudines et comparationes crebriores, descriptiones locorum, perso-

narum earumque characterum, nec non imagines et picturae fontes et vividae.

Descriptiones, imagines et picturae, si loco opportuno inseruntur actioni, hoc est, quum actio quodammodo quiescit, carmen epicum mirifice extollunt. In media vero actione, quum quasi fervet, ineptissime inseruntur; quia sciendi cupiditati, quae ad actionem ipsam attenta est, non modo non satisfit, sed animus etiam a re principali invitus avertitur.

Finis epopoeiae, communis cum opere poëtico quolibet, est delectare: eidem vero proprius, et specialis est, ut delectationi subsit doctrina, hoc est, ut doctrinam aliquam moralem practice doceat; quum personas agentes variorum et diversorum characterum in actione aliqua magna vel juvanda, vel impedienda occupatas exhibet, ex quarum mutuo conatu veritas moralis eluceat; e. c. Ilias Homeri hanc veritatem moralem clarissime exponit: *Discordia inter principes regnante omnia sinistre cedere, et effectus altercationis de rebus, utut minimis, aeque esse horrendos, ac gravissimarum injuriarum; praesertim si accedat superbia et ira.* Hujusmodi epopoeiae argumentum dicitur morale.

Quodsi argumentum epopoeiae sit actio *pathetica*, seu talis, quae tantum animi motus excitare vult; finis epopeiae est, per exaltatos animi motus et delectare, et scelerum turpitudinem, virtutisque pulchritudinem in personis agentibus spectandam proponendo, lectores ad fugienda vitia, virtutemque amandam invitare.

Versus proprius et Romanis et nostris est hexameter, qui inde nomen heroici traxit. Germani tamen etiam iambo uti solent.

Scriptores epopoeiarum celebriores sunt: apud Graecos: Homerus poëseos epicae pater; apud Romanos: Virgilius, Lucanus, Valerius Flaccus, Statius, Silius Italicus, Claudianus; apud Germanos: Klopstock, Bodmer, Wieland, Sonnenberg, Pyrker.

Epopoeia *civica*, quae Germanis propria est, ad imitationem heroicae scripta, celebrat actionem civilem, quam ad mirabilitatem et dignitatem accedere non est necesse. Epopoeias civicas scripsere Goethe: *Hermann und Dorothea*; Voss: *Luise*; Poëtria Viennensis Pichler: *Ruth*.

Altera epopoeiae species est *comica*, quae actionem levem et ridiculam herois ridiculi maximo conatu, et summa gravitate tractat, ut actionis et levitas et ridiculum magis adpareat. Reliqua omnia communia habet cum epopoeia heroica.

Hujus generis est *Batrachomyomachia*, quae Homero perperam adscribitur. Apud Germanos scribendis epopoeiis comicis inclaruerunt Zachariae, Uz, Thümmel.

Recentiores Itali, Galli, Angli et Germani scripserunt etiam ad imitationem epopoeiae epopoeias Romanenses, seu Ephesias, tam heroicas, quam comicas; quae ab aliis epopoeiis non nisi in argumento differunt. Materia enim epopoeiae Romanensis non *una* est actio, sed plures actiones ad eundem finem tendentes, vel quaedam herois vitae periodus.

Inter Germanos celeberrimi scriptores epopoeiarum Romanensium sunt Wieland, Nicolai, Alxinger.

ADPENDIX.

DE MYTHOLOGIA,

SEU

FABULOSA DEORUM GENTILIUM HISTORIA

Mythologia est sermo de fictis gentilium diis, eorum historias praesertim recensens.

Cultus complurium deorum causas inquirere si velimus, sequentes inveniemus praecipuas:

1) *Depravationem* traditionum sacrarum oretenus propagatarum, quae vel propterea facilius corrumpi potuerunt;

2) *Arrogantiam* philosophorum, praesertim apud Aegyptios, qui naturae arcana et phaenomena symbolis involverunt;

3) *Adsentationem* erga principes, virosque de genere humano bene meritos, quorum memoriam festis diebus celebrarunt, ipsosque deinde ceu deos venerati sunt;

4) *Vanitatem* plurimorum populorum, qui, ut antiquitatem et dignitatem generis sui ostenderent, originem suam a diis repetendam censuerunt;

5) *Imaginationem* poëtarum, qui virtutes, vitia, aliasque, quas dicunt, abstractas ideas humanis formis pingere solebant.

Doctrinam de fictis diis, quae maximam partem ab Aegyptiis originem suam repetit, Graeci excoluerunt, et in ordinem redegerunt; quae dein et a Romanis est adoptata. Ovidius libris XV. Metamorphoseon theologiam veterum elegantissime docuit.

Quum mythologia non tantum in operibus poëticis, sed etiam oratoriis, praecipue vero in artibus liberalibus tota dominetur: ignorare eam, qui in cultioribus numerari vult, nullo modo potest. Dividuntur vero dii veterum

in deos *consentes*, deos *selectos*, deos *indigetes*, deos *semones*, *personas allegoricas*, divinitate donatas, et deos *peregrinos*.

§. 1.

De Diis Consentibus.

Consentes omnes deos deasque (quibus hoc nomen ab antiquo verbo *conso*, quod idem ac *consulo* significat, inditum fuit) Ennius his duobus versiculis comprehendit:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

I. JUPITER princeps deorum omnium, deorum hominumque pater, praeses coeli habitus.

a. *Saturni* et *Opis* (quam alii *Rheam* vocant) filius est, conservatus clam patre Saturno, cui a callida matre Jovis loco lapis pannis obvolutus devorandus oblatus est. Pastoribus in Ida monte educandus traditus, ibique lacte *Amaltheae* caprae pastus, deinceps cornui istius caprae virtutem tribuit, ut ex libitu inde bona quaeque depromi possent, unde *cornu copiae* nomen traxit. Transeuntem aliquando patrem, ut ab attentione subtracti lacrimantis filii averteret mater, sacerdotes Idae, secundum alios Cretae, *Curetes* seu *Corybantes*, strepitum musicis instrumentis et collisione armorum excitare jussit, quo dolo occultus mansit puer, adolevitque. Dejecto postea regno patre Saturno, cum fratribus Neptuno et Plutone hereditatem ita divisit, ut sibi coeli terraeque imperium ac supremam in deos omnes hominesque potestatem retineret: Neptuno maris et aquarum, Plutoni autem inferorum regnum in sortem cederet.

b. Ad summum coeli terraeque imperium exaltatus plurimis benefactis juxta et malefactis inclaruit, quorum memorabiliora haec fere sunt:

1. *Gigantes*, terrae filii, immania hominum monstra, quorum alii centum manibus, alii serpentum pedibus in-

structi erant, bellum in Superos moverunt; in *Phlegaeis* Thessaliae campis *Athon*, *Pelion*, *Ossam*, altissimos montes, adgesserunt, ardentes quercus et saxa in coelum ejaculati, tantoque terrore deos repleverant, ut plerique fugam in Aegyptum arriperent, atque, ut securius laterent, sub diversorum animalium figuris se absconderent. Apollo corvum, Bacchus capram, Diana felem, Juno vaccam, Venus piscem cet. induit: unde animalium horum divinum in Aegypto cultum deducunt. Solus Jupiter, comite Minerva, bellum intrepidus sustinuit, rebelles fulminibus occidit partim, partim dejectos montium ruinis oppressit: *Typhonem*, gigantum omnium maximum ferocissimumque, quem alii *Enceladum*, alii *Briareum* adpellant, Sicilia a terris avulsa obruit, ubi iras et ignes spirans, nequidquam commovere se nititur; per Aetnam flammas evomens.

2) Lycaon, crudelis Arcadum rex, peregrinos mactare, edendosque hospitibus adponere consueverat. Veritatem sceleris ad se delati exploraturus ipse Jupiter, peregrini habitu ad regem hospes venit, et re vera humanas carnes sibi adpositas videns, sceleratum ultus est, regia fulmine exusta, et Lycaone in lupum converso.

3) *Prometheus*, simulacrum hominis ex argilla, variorum animalium sanguine macerata, efformaverat, idque surrepto ex solis rota igne animaverat. Ejus confidentiam indignatus Jupiter, in *Caucaso* monte alligari saxis Prometheum fecit, addito vulture, qui jecur illius, continuo renascens, exederet.

4) *Epimetheo*, fratri Promethei, uxorem per Mercurium allegavit *Pandoram*, feminam omnium deorum dearumque muneribus divitem. Haec marito pyxidem dotis loco attulit, qua curiosius incautiusque aperta omne malorum genus, illic conclusum, in orbem evolavit, sola spe, solito miserorum omnium solatio, in fundo remanente, quum pyxidem celeriter iterum conclusisset. Horum filia *Pyrrha* est.

5) *Thessaliae* totius incolas flagitiis contaminatissimos diluvio aquarum immisso funditus delevit, solis *Deucalione*

et *Pyrrha* ex communi interitu relictis, qui ad verticem *Parnassi* montis confugerant, et qui deinceps in ea rerum solitudine a *Themide* jussi sunt genus humanum reparare, rejectis post tergum lapidibus; quorum ii, quos Deucalion jecerat, in viros commutati sunt; quos Pyrrha autem, feminae exstiterunt.

Adnot. **Non est difficile, nec admodum a verisimilitudine alienum suspicari, sub his fabulis primorum parentum lapsum, diluvium universale, Noachi conservationem, filiorum trium Noachi in universum orbem divisionem, et turris Babelicae fabricam delitescere, *cet*.**

6) *Ganymedem* Trois, regis Trojani, filium eximia forma adolescentem, in monte *Ida* venantem, ab aquila sua rapi, et in coelum perferri fecit, ibique allatum miscendo ac ministrando diis nectari praefecit. Quo officio quum hucusque *Hebe* Junonis filia functa esset, ab eo ministerio, inepte inter serviendum prolapsa, remota nunc est. Hinc irarum item Junonis in Trojanos causa exstitit.

7) Ad *Danaën*, Acrisii Argivorum regis filiam, a patre turri fortissima, adhibitis etiam custodibus, ut ab omni humano commercio remota esset, conclusam, in imbrem aureum transformatus invisit.

8) *Europam*, Agenoris regis Phoenicum filiam, cum collactaneis suis ad litus maris ludentem, tauri formam mentitus, ad blanditias primum, tum ad fiduciam plane tergo suo insidendi pellexit, ac praedam tenens, repente fugam capessivit, marique tranato in *Cretam* insulam deposuit.

9) Ex *Leda*, cujus gratia cygnum induerat, gemellos genuit, *Pollucem* et *Helenam*; et quae hujus generis complura mythologi fabulantur.

c. Forma diversissima ab antiquitate exhibebatur Jupiter: fere autem vultu virili et serio pingitur, nonnunquam barbato, throno eburneo aureoque insidens, saepe nubibus aut aquilae innixus, coronam auream capite, sceptrum sinistra, dextra autem fulmina gerens. Pedibus illius adsidet, alis plerumque expansis, aquila, aliquando Jovis loco fulmina unguibus tenens, hinc *fulminum ministra* dicta.

Annot. Celeberrima Jovis templa erant: *Elide* in Graecia, ubi singulis quinquenniis *Ludi Olympici* maximo adparatu et universae Graeciae concursu celebrabantur: *Dodonae* item in Graecia, ubi in silva quercina antiquissimum celebratissimumque Graeciae oraculum erat: *Romae* in Capitolio, quod *Cicero sedem Imperii et arcem omnium nationum* adpellavit: et in desertis *Libyae* Jovis *Ammonii*, ubi cornua arietis praeferens colebatur.

d. Nomina aut cognomina plurima diversissimaque tum apud Romanos, tum apud alios nonnullos populos tulit Jupiter: ita ut solus Varro trecenta illorum recenseat. Digniora notatu sunt sequentia:

Jupiter, quasi *juvans pater*, aut ut verius alii existimant, antiquum nominativum *Jovis* junctum fuisse voci *pater*, unde Jovis pater erat, mox *Joupiter* et *Jupiter*.

Optimus Maximus, deorum enim summus, divorumque ac hominum pater erat.

Jupiter Custos; quod ordinem universi conservaret tueretur que.

Jupiter Fulminator et *Tonans*; arma enim huic uni et soli deo propria erant fulmina.

Jupiter Vindex; quod et aequum defenderet, scelera autem injustitiasque vindicaret.

Jupiter Lapis a lapide, quem Saturnus Jovis loco devoraverat; unde jurantes silicem lapidem manu tenebant, *Jovemque Lapidem jurare* sanctissimum jusjurandum edere significabat.

Diespiter, id est, *diei pater*, vel etiam *Lucetius*; lucis enim deus creditus est, et universe etiam pro aethere, praesertim a poëtis usurpatus. Hinc illa Horatii: sub *Jove frigido*, *Jove pluvio*, cet.

Vejovis aut *Vejupiter*, quasi pravus et infestus Jupiter, quem, ut maleficiis inferendis abstineret, colebant.

Zeus a Graecis adpellatus est.

Jupiter Xenius vel *Hospitalis*; hoc nomine ceu hospitalitatis praeses celebrabatur.

Jupiter Capitolinus, *Tarpejus*, *Feretrius*, *Stator*, *Latialis*, nomina sunt, quorum originem et causas in fastis romanis require.

Jupiter Ammonius, *Olympicus*, *Dodonaeus*, ex locis, in quibus praecipue colebatur, dictus est.

II. NEPTUNUS aquarum omnium apud ethnicos deus est, ac propterea maria omnia, flumina, fontes, lacus, nec non dii deaeque, quicumque his aquis praesidere credebantur, eidem tamquam supremo aquatico numini putantur subordinati.

a. *Saturni* et *Opis* fuit filius, frater proinde Jovis, cui sortitione imperium aquarum ex hereditate paterna obtigerat.

b. Sequentia praecipua facta de eo commemorantur:

1) A Jove condemnatus, ut in terris coelo exsul degeret, *Laomedonti* in exstruendis Trojae moenibus operam suam una cum Apolline, item exsule, condicta mercede locavit. Sed fidem pactae mercedis fallente deinceps Laomedonte, regnum illius primum exundationibus aquarum, tum monstro marino emisso, cui virginem quotannis devorandam offerre debebant, miserum in modum adflixit, donec tandem Hercules monstro occiso, *Hesioneque* filia Laomedontis liberata, turpissimum tributi opprobrium abstulit.

2) In celebri cum Pallade controversia de Athenarum imperio ac tutela quum conventum esset, illi tutelam in jus cessuram, qui singulari aliquo munere recens producto, urbem cohonestaturus esset, tridente in terram impacto equum produxit. Quum Minerva autem oleam germinare fecisset, judicio deorum consentium tutela Minervae adjudicata est. Qua sententia exacerbatus est Neptunus, ut vindictae causa omnem Atticam inundaret.

3. *Peleo* cum *Thetide* connubium celebranti donum nuptiale equos duos obtulit, *Xanthum* et *Balium*, singulari virtute praeditos.

4) Artem domandi equos homines docuisse perhibetur.

5) Certans cum Minerva et Vulcano de efficiendo illustriori artificio bovem protulit, Vulcano hominem et Minerva domum fabricante. Sed praerogativa tamen ex Momi, judicis delecti, sententia cecidit, quod cornua capiti, non pectori, qua parte fortissimus bos esset, adfixisset.

6) Ad preces Thesei vindictam ab Hippolyto, filio Thesei, sumturus, monstrum marinum ablegavit, a quo conterriti Hippolyti equi herum aurigam miserrime dilacerarunt.

c. Effingebatur Neptunus passim vultu senili, comante barba, capillicio glauco, oculis caeruleis, vultu nunc placido, nunc perturbato, fere nudo maximam partem corpore, tridentem manu sceptri in morem gestans, et conchae currus loco insistens, quam equi duo marini trahunt, anterioribus pedibus pinnas adnexas habentes; posteriori autem sui parte in piscem desinentes. Aliquando curru quadrijugi vectus pingitur, adsidente sibi uxore *Amphitrite* et praecedente tibicine *Tritone* eorum filio, qui item superiore corporis parte hominem junceo serto redimitum, inferiori autem piscem refert, et tibiae loco concham marinam inflat.

Annot. Praeter hos praecipuos aquarum deos proximi adhuc sunt aliqui, nimirum: *Oceanus* Neptuni gener et trium millium filiarum pater (intellige fluviorum); *Nereus* Oceani filius, cujus uxor *Doris*, filiae *Nereides* vel *Nerinae* dictae; *Najades* item, fluviorum et fontium praesides Nymphae; tum *Proteus* phocarum seu vitulorum marinorum pastor, in multiplices formas se mutare solitus; denique *Glaucus* et *Thetis* filia Neptuni, in cujus cum Peleo nuptiis *Eris* seu Discordia mensae convivali deorum dearumque, qui universi aderant, fatale pomum injecit cum inscriptione: ἡ καλλιςῃ λαβετω.

2. Monstra praeterea marina hic notanda praesertim sunt duplicia: *Sirenes* nimirum, quae virgines erant, infima corporis parte pisces, Siciliae litora juxta promontorium Pelorum incolentes, cantusque incredibili suavitate, si qui praeternavigarent, adlicientes ac devorantes. Duos tantum viros ex earum artibus incolumes exivisse commemorant: Ulyxem, qui sociorum aures cera obstruxerat, seque ipsum malo navis adligari fecerat, et Orpheum, qui laudes deorum ad citharam cecinerat.

Deinde *Scylla* (scopuli latentes ad Rhegium) et *Charybdis* (vortex ad Messanam), (ex mente poëtarum, monstra duo feminea) navigantibus infestissima. Lege sis descriptionem eorum apud Virg. L. III. Aeneid.

Neptunus Graecis dictus est *Poseidon*. Cognomina apud Romanos complura sortitus est.

Isthmius, quod praecipue in Isthmo Corinthiaco celebre templum haberet, et ibidem splendidissimi in ejus honorem ludi ederentur.

Consus, cognomen, quod apud Romanos obtinuit, et festa in honorem illius obiri solita, *Consualia* dicta, ludis equestribus peragebantur.

Hippius item propter equos vel inventos, vel domitos vocabatur, cet.

III. APOLLO diversis muneribus apud veteres functus est: erat enim unus ipse sol orbem collustrans, jaculator eximius, artis medendi ac vaticinandi auctor, musicae inventor, et Musarum praeses.

a. *Jovis* et *Latonae* filius. Quum Juno Latonae infensa terram deprecata esset, ne pariturae locum ullum cederet, quin immisso etiam immani dracone, *Pythone* dicto, fugitivam undique persequeretur, adflicta Latona ad Neptunum confugit, qui insulam *Delon* ex mari adscendere jussit, eamque fugitivae locum perfugii et partus adsignavit.

b. Facta dei hujus secundum diversa, quae obivit munera, sunt varia:

1) Quum artis jaculandi esset peritissimus, ante omnia matrem de Pythone serpente ultus est, draconemque turpissimum exhausta prope pharetra, sagittis interfecit. Idem postea, quum Jupiter filium ejus *Aesculapium* fulmine interemisset, in vindictam exardescens *Cyclopes* aliquot, fulminum fabros, interemit. Quod ita male Jovem ussit, ut Apollinem coelo ejiceret, deorumque consortio deturbatum ad mortalium societatem redigeret.

2) Inter mortales ad rerum omnium inopiam redactus, *Admeti* regis greges pavit, eoque praesertim tempore musicae artis inventor fuit; hinc poëtarum et musicae deus.

3) *Laomedontem* regem Trojanum in moenibus exstruendis juvit, diciturque tibiae et citharae (quorum instrumentorum musicorum inventor item est) dulcedine lapides sic commovisse, ut ipsi ad mutuas aedificii juncturas accederent.

4) *Pan*, cannas citharae praeferre volens, Apollinem ad certamen musicum provocavit; arbitro Tmolo electo, praesente Mida rege Lydiae, qui certaminis pretium Pani adjudicari voluit, et ab Apolline irato auribus asininis punitus est.

5) Simili certamine congredi auso, victoque satyro *Marsyae* pellem detraxit.

6) *Hyacinthum* juvenem, filium Amyclae, regis Spartae, quicum lusitare disco solebat, quum evibrato fortius et gravius in caput pueri relabente disco imprudenter necasset, sanguinem illius in florem cognominem mutavit.

7) Quum *Daphne*, *Penei* Thessaliae regis filia, Apollinem itentidem fugiens a Jove in arborem laurum transformata esset, arborem saltem hanc sacram Apollo sibi esse voluit, ramisque inde decerptis coronam capiti suo plexuit. Hinc poëtarum corona laurea.

8) *Leucothoës* virginis regiae, quae a patre viva humi defossa fuerat, sepulcrum nectare perfudit, atque thuriferas arbores inde germinare fecit.

9) *Clitien* autem sororem Leucothoës, Apollinis videndi desiderio contabescentem, in *heliotropium* mutavit, quod jugiter ad solis intuitum se convertere solet.

10) *Cassandram* Priami regis filiam dono futura praedicendi quidem impertitus est, sed simul miserrimam conditionem adnexuit, ut etiam vera vaticinanti nemo crederet.

11) *Phaëtonti* filio, in testimonium paterni generis id postulanti, currum suum, equis ferocissimis quatuor junctum, agendum credidit. Sed juvenis praefidens, quum aurigationis hujus horrendae imperitus coelos terramque incendisset, a Jove fulmine in *Eridanum* fluvium dejectus

et terra exustionis periculo liberata est. Sorores Phaëtonis *Heliades*, immodice fratres casum deplorantes, in arbores alnos commutatae sunt.

c) Pingitur Apollo specie imberbis juvenis, flavis promissisque capillis (unde passim apud Latinos intonsus dicitur), caput lauro cinctus, levi solum pallio ex humeris pendente, dextra arcum et sagittas, laeva citharam vel lyram tenens. Nonnunquam aureo radiantique currui insidens, quem quatuor equi juxta se juncti trahunt. Alias etiam eadem quidem fere corporis forma, quam mox descripsimus, sed in monte Olympo Musas inter considens repraesentatur.

1. *Annotat.* Tribuuntur Apollini per orbem terrarum plurima oracula, sed celebrius nullum eo, quod *Delphis* in Phocide per sacerdotem mulierem, quae *Phaebas* seu *Pythia* dicta est, tripodi insidentem et furore correptam reddebat. Hinc proverbium manavit: *ex tripode dictum*, de veritate manifesta. Ceterum laurus arbor, et corvus animal sive etiam accipiter Apollini sacra erant.

2. *Musae*, quarum praeses Apollo est, virgines sorores novem sunt. *Jovis* et *Mnemosynes* filiae, (intellige ingenii et memoriae) solitarios Graeciae montes, *Parnassum*, *Heliconem*, *Pimplam*, *Pindum*, ad amoenissimos fontes, *Castaliam*, *Aganippen* et *Hippocrenen* incolere putabantur, quorum postremum fontem *Pegasus* alatus equus ungula excussisse narratur; ex quo qui bibunt, poëtico *entheo* corripiuntur. Sunt vero novem hae sorores singulae artibus aut scientiis singulis praepositae. En nomina illarum et munera: *Calliope* heroico carmini praeest; *Clio* historiae; *Euterpe* tibiae; *Melpomene* tragoediae; *Terpsichore* lyrae; *Erato* saltui; *Polyhymnia* mimicae; *Urania* astronomiae; *Thalia* comoediae.

d. Ex diversis factorum eventorumque circumstantiis varia tulit nomina, quorum notissima sunt.

Graecis dictus est *Phoibos*, *Apollon*, vel *Helios.*

Sol, *Titan*, *Phoebus* a lucendo.

Delphicus, a Delphis urbe, ubi templum atque oraculum habuit.

Clarius et *Cynthius*, primum a magnifico templo in urbe Asiae Claro: alterum a monte Cynthio in Delo insula.

Delius ex insula natali,
Pythius ab interfecto dracone.

Annot. Celebrior ceterorum Apollinis filiorum fuit *Aesculapius*, post parentem medicinae peritissimus creditus. Fingitur arte sua mortuos in vitam revocasse. De quo quum Pluto apud Jovem quereretur, regnum suum imminui: iratus Jupiter fatorum ordinem per eum turbari, fulmine percussum abstulit. *Epidauri* in Peloponneso praecipue colebatur. Pingitur senili vultu formaque, baculo nixus, cui serpens circumvolutus est. Reliquit filios duos, fama medicae artis notissimos; *Machaonem* et *Podaleirium*.

IV. MERCURIUS diversis muneribus obeundis praeerat; *nuntius deorum*, deus *mercatorum*, *oratorum*, imo et *furum* habitus cultusque.

a) *Jovis* ex *Maja*, filia *Atlantis* Mauritaniae regis, fuit filius. Quum lac, quo infans alebatur, effusum esset, *via* inde *lactea* in coelo orta est, quamquam id de Hercule alii narrent.

b) Facta singulari nota praelustria vix pauca aliqua recensentur de deo hoc omnium occupatissimo: sed eorum loco munera, quibus fungitur, notabuntur. Itaque

1) *Nuntius deorum* est, quo utuntur dii ad mandata ultro citroque perferenda per coelos, terras, atque inferos, negotiaque nonnunquam sua conficienda, sed praecipue Jupiter, cui prope adsidue praesto adesse debet. Adjunctum est muneri huic alterum, vi cujus morientibus adesse, animas corporum vinculis solvere, solutas ad Tartarum aut Elysium secundum promerita eorum deducere, denique si opus esset, in lucem hanc iterum ex inferis reducere debebat.

2) Nobilissimum, quo fungitur, munus, *eloquentiae praesidium* est, ex quo a Graecis *Hermes* quasi ab interpretando vocatur. Haec ratio sine dubio est, cur nonnunquam catenulis aureis ex ore defluentibus pictus reperiatur. Pacis hinc etiam et foederum pangendorum deus cultus est, quod ad haec concilianda eloquentia opus sit. Hinc Lystrensium quoque errorem manasse conspicuum

est, quum Paulum ob eloquentiam deum Mercuriumvocabant (Actor. 14, 12); quippe sermonis, ut rebantur, ministrum.

3) *Deus mercatorum* divitiis, quas omnes expetunt, comparandis, et lucro conficiendo praesidere existimatus, pondera quoque, mensuras et commercia invenisse creditus est, unde statuis ejus nonnunquam marsupium adpendere soliti sunt. Romae mercatores festum Mercurio diem agebant, quo, ritu certo constituto, perjuria inter mercandum commissa expiabant, et simul, Ovidio teste, futurorum veniam deprecabantur.

4) *Deus furum* eadem fortassis de causa adpellatur, quod lucri captandi fautor et adjutor implorabatur; a graeco comico Aristophane propterea *perfossor parietum* cognominatus. Aliquot hac in arte memorabilia facinora singulari dexteritate perpetrata dei istius commemorantur:

Puer admodum *Neptuno* tridentem, *Marti* gladium, *Veneri* cingulum, *Vulcano* forcipes, et *Jovi* ipsi sceptrum furto abstulit, ablaturus fulmen quoque, nisi ignibus a proposito absterritus fuisset.

Battum pastorem Arcadem in lapidem commutavit, qui, contra fidem de silentio servando datam, Mercurio ipsimet, aliam formam induto, indicium fecerat de furto boum duorum, quos Apollini, armenta Admeti regis pascenti abegerat.

Argo, pastori centoculo, (etsi bina solum ejus lumina dormiendo alternarent) vaccam Io, custodiae illius a Junone creditam, de patris sui Jovis mandato, surripuit, suavissimo cantu oculis universis soporem inducens, ac tum pastorem ipsum morti dans. Occisi Argi pastoris sui vicem miserata Juno centum saltem ejus oculos pavonum suorum caudis adfixit.

c. Pingitur juvenis speciosi et hilaris forma: *petaso* et *talaribus* instructus, *caduceum* manu una, cui serpentes duo circumvoluti sunt, altera marsupium tenens, catenulis, nonnunquam ex ore profluentibus, ut supra insinuavimus. Quae tota forma munerum diversorum index est.

1. *Annot.* *Petasus* pileus rotundus est, cui alae utrinque adhaerent; pileus ipse dimidia sui parte albus, altera dimidia ater pingi consuevit, quod ejus officiorum ratio non superas solum, sed inferas etiam plagas respiceret. *Talaria* binae alae sunt, pedum illius talis adfixae; tandem *Caduceus* virga pacis conciliatrix est, in quam, periculi faciendi causa, aliquando inter depugnantes serpentes duos abjectam, continuo amplexi ambo amice coierunt.

2. In triviis et quadriviis ejus honori statuae collocabantur, lapide quadrato constantes, qui solo vertice caput Mercurii praeferebant, reliquo omni corpore trunco. Latinis *Mercuriales*, Graecis *Hermae* dictae sunt.

3. Animalium galli et vituli, ac horum animalium praesertim linguae; arborum ficus; plantarum vero quinquefolium Mercurio sacrum habebatur.

Mercurius aliis quoque nominibus cognominibusque apud Latinos juxta et Graecos insignitus fuit. *Camillus* Romanis dictus est, quae vox ministrum significat.

Vialis, ob continuas profectiones suas sursum et deorsum viis praesidere tamquam numen putatus.

Hermes Graecis, ut supra, ab interpretando. *Caducifer*, *Ales*, a forma, qua pingitur. *Cyllenius* a monte Cylleno, loco natali in Arcadia, cet.

V. VULCANUS, fabrorum omnium, quicumque ignem, aut quae vi ignium liquescunt, tractare consueverunt, deus habebatur.

a. *Jovis* et *Junonis* filius. Ob deformitatem, quum vix natus esset, a Junone matre coelo dejectus est; vel secundum aliorum narrationem: quum Junoni a marito Jove durius habitae suppetias veniret, pede a patre arreptus et in terras elisus, in Lemnum, maris Aegaei insulam, decidit, claudusque ex eo casu toto reliquo vitae tempore permansit.

b. Facta ipsius fere ad effectiones operum fabrilium constringuntur.

1) Officinas enim fabriles ferrarias in Lemno, Lippara et Siciliae, insulis, praecipue in Aetna ignivomo monte erexit, in quorum ultimo praesertim socios laboris sui Cy-

clopes, uno solo in fronte oculo instructos, habuit *Brontem*, *Steropem*, et *Piracmonem.* His adjutoribus elegantissima quaeque fabrilia opera, partim dona, partim in usus deorum adfaberrime elaboravit, eoque obsequii genere tantam aqud universos gratiam inivit, ut in deorum coetum rursum adgregaretur.

Annot. Vel hodie adhuc montes ignivomi seu in nominatis insulis, seu ubicumque alibi siti, Vulcani adpellari consueverunt.

2) Uxorem ex deabus coelitibus ducturus, conjugium Minervae primum ambivit quidem; sed ab ea repudiatus est: tum feliciori successu dearum pulcherrimam Venerem adquisivit, deorum ipse deformissimus.

3) Artefactorum fabrilium, quae ex illius officina prodiverunt, inter plurima, quae numerantur, memorabilia sunt: *sceptrum* Jovis, *sella* Junonis; *currus* et *regia* Solis; *monile* donum nuptiale Harmoniae; *arma* et *galea* Martis; *arma* Achillis et Aeneae, illa ad Thetidis, haec ad Veneris preces fabricata, cet. Prae ceteris autem omnibus Jovi *fulmina* jugiter providenda curandumque Vulcano erat, ut ne deorum rex hac penu unquam careret.

c. Pingitur Vulcanus forma annosi et claudi fabri, potissima corporis parte nudus, ad incudem sedens, vel etiam stans; dextra malleum, forcipes sinistra tenens, vel etiam sociis fulmina fabricantibus invigilans; nonnunquam Palladi sibi adsistenti galeam effingens. Simili prope forma Cyclopes quoque representantur, nisi quod unicum in fronte oculum gerant, nervosi ceterum et robusti, quippe de gigantum gente.

Vulcanus plurimis aliis nominibus insignis est, ut:

Hephaistos apud Graecos, quasi ardentem dicas, et secundum Platonis interpretationem, qui luci praeest.

Mulciber a mulcendo vel potius molliendo ferro et ceteris metallis vocatur.

Lemnius ab insula, in quam deciderat.

Aetnaeus a loco officinae, quae sub monte Aetna constituta fingitur, cet.

VI. MARS bellorum deus et praeses non apud Graecos solum et Romanos, sed apud alios etiam praesertim apud Scythas, Thraces, Germanos prae aliis, bellis claros populos habitus fuit.

a. *Jovis* et *Junonis* Graeci mythologi filium ajunt, in Thracia natum; Thero nymphia (quod nomen feritatem exprimit) altum et educatum. Latini vero mythologi Junonis solius filium pertendunt, quem contacto quodam flore genuerit, ad imitationem scilicet natae ex Jove solo Minervae, de qua infra.

b. Vix aliqua peculiari observatione digna dei hujus commemorantur facta; en pauca:

1) In bello gigantum fortem et egregium primo Jovis adjutorem se praestitit, Pelorumque et Mimantem interfecit, sed a Typhoeo deinceps fugit, et ne comprehenderetur, piscis formam sumsit.

2) In bello Trojano quum a partibus Trojanorum staret, a Diomede, Minerva instigatrice, in ventre vulneratus, tanto clamore, narrante Homero, infremuit, quanto alias novem vel decem millia hominum in proeliis solent.

c. Pingitur ardente vultu, totus armatus, lanceam manu librans, currui insistens ab equis duobus indomitis tracto. Aurigae vices obit *Bellona*, Graecis *Enyo* dicta, Martis seu soror, ut plurimi narrant, seu uxor, ut alii. Haec passis capillis, manu una flagellum sanguineum equis intentans, altera facem jactans, equos laxatis habenis urget, praecurrente armati Martis bigam *Discordia*, veste scissa, comitantibus *Metu*, *Terrore* et *Furiis* pone autem succedentibus *Fame* et *Peste*. Aliquando Marti *gallus* adpingitur, ad vigilantiam militibus tantopere necessariam significandam. Fabulantur enim, *Alectryonem* juvenem, quod ei in excubiis a Marte collocato somnus obrepserat, in gallum hunc commutatum fuisse.

Mars Graecis *Ares* vocatur,

Mavors, quod *magna vortat.*

Gradivus a *gradiendo* in bellum, seu progrediendo.

Quirinus a Romanis pacis tempore adpellatur ex voce Salina *Curis* aut *Quiris*, quod securim seu lanceam exprimit.

Enyalius Bellona, quam *Enyo* dici supra meminimus.

Salisubsulus a *Subsiliendo*; nimirum *Salii*, Martis Sacerdotes, mense Majo ejus ancilia cum tripudio circumferebant, cet.

VII. JUNO, Jovis soror et conjux, deorum omnium dearumque ceterarum regina, nuptiarum partuumque praeses.

a. *Saturni* et *Opis* fuit filia, in insula Samo nata, Jovis germana et gemella soror, quem propterea tanto facilius patri a matre occultari potuisse ajunt, ut supra retulimus. Matrimonio conjuncta est eidem fratri suo Jovi, cujus patientiam perpetuo exercuit, non raro in jurgia et rixas ex ira et zelotypia, praeceps delapsa. Aliquando tamen Jupiter insolite exardescens ex capillis, terram coelumque inter, mediam suspendit, incudibus duabus ad pedes additis: qua occasione Vulcanum auxilio matri venientem Jupiter in terram excussit, ut supra retulimus. Unicam memorabilem filiam habet *Heben*, quae dea juventutis et ministra in conviviis deorum fuit: de cujus fato jam supra sermo fuit.

b. Facta illius fere omnia ex dominandi libidine, irae impotentia, et turpi zelotypia profecta, ad iram vindictamque a ceteris nonnunquam Jovis conjugibus sumtam pertinent:

1) *Callisto* enim Dianae comitem et adseclam in ursam convertit, quam Jupiter inter astra deinceps retulit, ubi hodieque sub nomine *Ursae majoris* seu *Arctus* perdurare fingitur.

2) *Herculem*, Jovis ex Alcmena filium, ab incunabulis odio constanti persequuta est, anguibus illi in cunis primum objectis, diversis postea laboribus conciliatis.

3) Trojanos tum judicii *Paridis* causa, tum ob *Ganymedem*, in locum et ministerium filiae suae Hebes ex

terris advocatum, perenni et infensissimo odio undique comitata est.

4) *Io*, filiam Inachi Argivorum Regis, quam Jupiter in vaccam converterat, ut tanto securior a Junonis ira delitesceret, detectam nihilominus, Argo primum solertissime custodiendam tradidit. Sed quum pastor iste a Mercurio sublatus esset, ex Io vacca vindictam propterea repetitura, in furorem illam egit, et per fluvios, lacus, maria, toto prope orbe exagitatam, in Aegyptum tandem compulit, ubi ad Nilum flumen Jovis opem imploravit, ac obtinuit: pristinae humanae formae restituta, et apud Aegyptios divinos deinceps honores sub nomine Isidis consequuta.

5) *Ixionem*, qui, ut nonnulli ajunt, nectare nimio epoto irreverenter, tantaque furia ad Junonem adpropinquaverat, ut vix nube objecta ab illius injuria se tueretur, ad deae hujus preces Jupiter in tartara demersit, ibique rotae perpetuo circumactae per Mercurium adligandum curavit, cet.

c. Forma augusta et regali pingitur, aut throno aureo, aut currui duobus pavonibus juncto insidens, diademate aureo in capite, et sceptro item aureo in manibus conspicua.

1. *Annot.* Praecipua ministrarum Junonis *Iris* erat Nympha, qua sic ad nuntios et negotia sua expedienda utebatur, quemadmodum conjux ejus Jupiter Mercurio. Itaque Iris ista prae aliis ministeriis animis muliebribus e corpore educendis et ad inferos transportandis deputata fuit.

2. Templa augustissima *Argis*, *Sami*, et praefertim *Carthagine* habuit, *quam Juno fertur terris magis omnibus unam posthabita coluisse Samo. Hic illius arma, hic currus fuit.* Sacrificabantur ejus honoribus vaccae juvenes, agni, capellae, et sues matres. Avium autem sub tutela illius pavones putabantur.

Juno Graecis dicitur *Here*; apud Romanos cognomina habet plura.

Juno Regina, quod regnis et divitiis praesidere putaretur.

Juno Juga, quod conjuges in matrimonia jungeret.

Pronuba, quod nuptiis et nubentibus praeesset.

Cinxia, a cingulo virginali, quo sponsae cingebantur.

Juno Lucina vocabatur, quum puerperarum, nascentiumque erat praeses: quod tamen nomen magis convenire videtur Dianae, seu Lunae.

Sospita a valetudine, cujus tutela ad eam tamquam aëris temperieique praesidem pertinebat.

Populonia a cultu, quo omnis populus eam venerabatur.

Juno Moneta a monendo dicta, monuerat enim Romanos terrae motum plena sue esse procurandum.

Samia Argiva, *Imbrasia* cet. nomina sunt a locis, in quibus templa Junoni sacra erant, mutuata.

VIII. VESTA duplex apud Mythologos reperitur, altera major, altera minor.

a. *Vesta major*, quae etiam Cybele, Graecis Kybele dicitur, eadem est cum Rhea seu Opi, de qua infra.

b. *Vesta minor* ignis dea est. Hanc itinerum suorum comitem Aeneas in Italiam adtulerat. Romae Numa Pompilius primus magnificum templum penitus rotundum erexerat, in cujus medio ignis, certissimum imperii pignus collucebat, a Virginibus Vestalibus, in hanc rem institutis et delectis, tam caste cauteque custoditus, ut, si quo casu exstingueretur ignis, negotia publica et privata continuo cessarent, dum prodigium expiaretur virgis caesa Vestali; si qua autem voti publici religionem temerata pudicitia violasset, viva defoderetur.

c. Mirum plane esse non debet, nomina duabus his Vestis promiscue eadem non raro tribui. Sunt autem reliquis celebriora, quae sequuntur:

Vesta a graeco ἑςια, quod focum significat.

Cybele a monte, in quo educatam fabulantur.

Ops ab ope seu auxilio, quod terra omnibus plantis suppeditat.

Magna Mater deorum, nempe ut ex terra omnia, sic ipsas divinitates suas indidem ortas existimabant caeci gentiles.

Bona Dea Romanis dicta.

Rhea item, quod hominibus per eam plurima bona affluant.

Berecynthia, *Idaea*, *Phrygia*, a montibus duobus, et regione ortus sui Phrygia.

Pessinuntia a Pessinunte urbe, cultu ejus celebri.

IX. MINERVA sapientiae et bonarum artium praeses; lanificii, artiumque ceterarum muliebrium: texendi, nendi, acu pingendi, cet. oleae item inventrix, bellorum et armorum dea a gentili antiquitate habita.

a. *Joris* unius filia est, fingitur enim ex ejus cerebro tota quanta jam adulta et armata prosiluisse, postquam Vulcanus Jovi patri caput, doloribus maximis cruciatum, impacta securi diffiderat.

b. Facta illius ad classes complures, quarum rerum praeses est, revocari possunt; sed in rem nostram pauca aliqua suffecerint.

1) Jovis patris in bello Gigantum, fugientibus licet diis ceteris, indissolubilis comes fuit, eumque in debellandis rebellibus his egregie adjuvit, tum Medusae capite objecto, tum fulminibus etiam, quae precario a patre acceperunt, in hostes evibratis.

2) Occiso monstro *Aegide*, quod orbem terrarum incendio vastaverat, pellem ejus scuto suo induxit.

3) *Medusae Gorgonis* caput, anguibus capillorum loco tectum, per Perseum recidi, adlatumque scuto suo inseruit, quod intuentes quicumque in lapides convertebantur.

4) *Arachnen*, puellam textorio opere praestantem quidem, ex superbia tamen secum de excellentia in hoc laboris genere certare ausam, impacto radio ad suspendium adegit; miserta tamen postea artificis, in araneam illam commutavit.

5) Ob repulsam in judicio Paridis latam, Graecorum contra Trojanos fautrix et adjutrix potentissima, Ulyxem praesertim et Diomedem direxit ubique et protexit,

priorisque filium Telemachum, Mentoris forma adsumta, in itineribus et periculis comitata est, efficacissime illum ad virtutem et sapientiam efformans.

6) Olea inventa, tutelam novae urbis controversam prae Neptuno adepta, nomen suum Athenas urbi indidit, eamque scientiarum et artium bonarum omnium sedem constituit.

c. Pingitur forma augusta, vultu serio, imo torvo, oculis glaucis, quo epitheto illam Homerus perpetuo designat, loricata armataque tota, caput galea tecta, cui vel cristae, vel certe noctua impositae sunt. Vestis ejus auro, purpura, caesioque colore intertexta ad imos pedes demissa est. Manu altera hastam, Aegidem altera praefert; denique gallo, aut etiam noctua pedibus ejus adsidente, frequentissime exhibetur: quo nocturnas antelucanasque eruditorum vigilias designari nihil dubium est.

Annot. Dignitate Jovi proxima credebatur, inde apud Romanos cum Jove et Junone in Capitolio quoque culta est. Fatalis deae hujus statua, *Palladium* dicta, cujus conservationi salus romani imperii adhaerescebat, in Vestae templo ita sancte occulteque custodiebatur, ut nemini praeter summam Vestalium praesidem conspicua unquam fieret. Quinque continuorum dierum festa ejus honori dicata erant, *Quinquatria* inde dicta. Bobus jugi expertibus ei immolabatur; eratque ei sacra, prae aliis avibus, noctua; arborum autem olea.

Minerva Graecis dicitur *Pallas Athene*. Cognomina plura habet:

Tritonia a lacu *Tritone*, ad quem educata fuit, vel ab aeolico vocabulo *τριτων caput*; hinc *τριτωγενεια* etiam dicitur.

Parthenia, (a vocabulo graeco *παρθενος*, *virgo*) virgo enim permansit, nulli deorum conjugio unquam copulata.

Caesia ab oculis glaucis et fulgurantibus.

Glaucopis ob eandem causam.

Armipotens, quod ex vi nominis notum est.

D. CERES, frugum terrae inventrix; sationis, et quae ad frugum creationem ac usum pertinent, praeses.

a. *Saturni* et *Opis* filia, Jovis soror, et verisimilius Jovis ejusdem etiam uxor, ex eo quippe Proserpinam suscepisse fertur.

b. Fata, quibus celebritatem consequuta est, sunt fere sequentia:

1) Fertur in amoenissima Siciliae regione commorata fuisse, ceterosque illius regionis incolas erudivisse, quomodo terra subigenda, frumentum seminandum, metendum, purgandum, conservandumque sit; denique quomodo moli, pinsi, et in cibos humanos praeparari debeat, quum hucusque homines herbis solum et glandibus victitassent. In eundem finem boves sub juga misisse aratroque adjunxisse perhibetur, quo exemplo homines paullatim in societatem coëgit et legibus socialibus editis possidere terram sine mutua injuria docuit.

2) Quum Proserpinam filiam perditam facibus accensis undique quaerens divagaretur; interim ignorantia iterum et negligentia colendorum agrorum, atque inde sterilitas terras invasit. Cui malo opem latura *Triptolemum*, Eleusinorum regis filium, in terrae cultura informavit, currum suum a draconibus duobus tractum ei dedit, eumque artem hanc per orbem vulgare jussit.

3) Postquam ad lacum Syracusium velum filiae perditae aquis innatare vidisset, et ex Arethusa nympha didicisset, raptam fuisse in conjugem a Plutone Proserpinam: Jovem, ut filia sibi redderetur, deprecata est. Qui adnuit quidem, ea tamen lege, si ciborum inferorum nondum quid gustasset; neque enim eam, si secus factum sit, per fata reddi licere. At dum compertum deinde fuit, revera ex malo granato filiam comedisse, id saltem impetravit, ut dimidium semper annum apud Superos exigere licitum esset filiae Proserpinae, inferorum jam reginae.

4) *Erisichthonem*, qui silvam deae huic sacram violaverat, tanta fame punivit, ut se ipsum postremo devoraret.

c. Pingitur forma gravi, et eleganti, capillis flavis, serto spiceo caput redimita, dextra facem ardentem, sinistra fasciculum spicarum et papaverum gestans. Aliquando toto hoc ornatu comta currui insidet, cui dracones duo juncti sunt. Sacrificabatur illi porca foeta, animal frugibus infestum; quam inter hymnos circum agros ductam immolabant.

Annot. Sacra hujus deae Romae a matronis castissimis peragebantur, quas eo tempore a virorum consortio segregatas esse oportebat. In Attica autem illius honoribus sacra *Eleusinia* obibantur, quae posterioribus temporibus Romam etiam penetrarunt, et a quibus quoscumque non initiatos sub mortis poena abesse conveniebat. Ceterum faces accensae sacris his in memoriam Proserpinae quaesitae et inventae adhibebantur.

d. Nomen *Cereris* ab antiquo verbo *cereo*, quod idem, est, ac *creo*, ortum habere dicunt, quasi frugum creatrix diceretur.

Demeter aut *Damater* i. e. *Terra mater*, apud Graecos, terram indicat, quae matris instar pane nutrit.

Legifera vel *Thesmophora*, quia legibus socialibus homines silvestres conjunxit, cujus nominis originem supra vidimus.

Arcana quum dicitur, probabilius ad Eleusinia respicitur.

Almam ab *alendo* vocatam putant.

XI. DIANA pro ratione triplicis, quo fungebatur, muneris et in coelo, et in terra, et in inferis, triplex etiam divinitas credita est. Et quamquam diversis item secundum munerum diversitatem nominibus insignis esset: (in coelis namque *Luna*, apud inferos *Hecate*, in terris autem *Diana* nominabatur) omnia tamen fere ad idem et praecipuum Dianae nomen ac numen referebantur. Itaque Diana eadem et lucis nocturnae, et venationum, et umbrarum apud inferos dea habita fuit. Virginalis praecipue continentiae cultrix ante omnes coelites illustris.

a. *Joris* et *Latonae* filia, in Delo insula eodem partu cum fratre Apolline edita est. A teneris inde venatio-

num amatrix immodica, conjugium perpetuo aversabatur. Parvula namque sinui patris Jovis insidens, arcum, sagittas, et sexaginta nymphas sodales suppliciter petiit, obtinuitque, ut eam pater silvarum deam constitueret. Cyclopes inde arcum et sagittas suppeditaverunt novae praesidi. Pan autem canes venaticos majores sex, vertagos septem dono obtulit.

b. Factorum deae hujus principium a venatione:

1) Penu namque venatoria dono Panis et Cyclopum instructa, ante alia in monte Parrhasio cervos quatuor, aureis cornibus insignes, cepit, quos deinceps currui suo praejunxit: quintum Herculi capiendum superstitem liberum reliquit.

2) *Actaeonem*, Cadmi nepotem, venando imprudenter progressum ad fontem usque, quo Diana cum nymphis sodalibus corpus, vestibus positis, abluebat, crudelissima morte mulctavit. Aqua enim ex fonte in infelicem venatorem manu ejaculata, repente in cervum convertit dominum, canibus suismet ignotum, qui diu exagitatum miserrime dilaniarunt.

3) *Meleagrum*, qui diis ceteris omnibus sacrificaverat, de neglecto cultu suo punivit, immisso immani apro, Calydonio dicto, qui ditiones ejus miserum in modum devastabat.

4) *Endymionem* formosum venatorem et pastorem tanta tamque constanti amicitia prosequuta est, ut quamvis perpetuo sopori a Jove immersum, et in specu montis Latmi recubantem, frequentissime tamen inviserit.

5) In bello gigantum Jovi patri fideliter fortiterque adstitit, immanemque Tityum telis confecit: quamquam postremo et ipsa in Aegyptum fugerit, felemque, ut lateret, induerit.

6) *Niobem* de prolium multitudine et pulchritudine Latonae matri suae superbe temerarieque insultantem, postquam Apollo jam septem ejus filios telis confixisset, Dia-

na nunc etiam nece septem filiarum illius ulta est, matre Niobe ipsa doloris immanitate in lapidem conversa.

c. Pingitur forma conspicuae virginis, statura procera, vultu gravi sed amabili, succincta in morem Amazonis. Coma aut dissoluta, aut nodo unico post cervicem revincta. Arcu, sagittis, et pharetra instructa, in capite lunulam bicornem splendentem gerit. Manu venabulum agitat: canes venatici pone sequuntur, et nymphae sodales latera stipant, quibus ipsa una supereminet omnes. Nonnunquam etiam curru aureo vehitur, cui adjuncti sunt equorum loco cervi albi, quos ipsa in Parrhasio monte cepit primitios venationum suarum.

Graecis dicitur *Artemis* in terris, in inferis *Hecate*, in coelis *Selene*. Cognomina celebriora sunt:

Trivia dicta est, quod in triviis statuas huic deae erigi solemne esset.

Lucina, seu Juno Lucina, quia Luna parturientibus adesse credebatur.

Diva genitalis eadem de causa non raro vocari consuevit.

Phoebe, ut soror Phoebi seu Apollinis est, hoc est: luna, cum Apollo sol sit:

Noctiluca, item *Siderum Regina* eodem significatu de luna accipienda sunt;

Cynthia et *Delia* ex loco ortus item, ut fratris Apollinis nomina explicantur.

Triformis aut ad rationem triplicis iterum muneris sumta forma, aut, quod malunt alii, a triplici forma, in quam luna per vices mutatur.

Dictynna a Cretensibus adpellari solita est.

Ephesia, *Taurica*, a locis aut regionibus, in quibus cultus ejus celeber erat.

XII. VENUS pulchritudinis et amoris casti dea per totam, qua late patet, naturam regnans ab universa gentili antiquitate reputata est; postremis temporibus ad voluptatum cujuscumque generis praesidium foede traducta.

a. Nonnulli Venerem *Jovis* et *Diones* filiam esse ajunt, secundum alios ex spuma maris orta, a Zephyro in concha ad litus Cypri insulae, primum adpulsa, ad Cytheram postea ab Horis educta est. Quacunque pedem fixisset adolescentula, flores sub ejus passibus germinabant. Adultior comta ornataque ad coelos deducta, simul miraculum, simul spectaculum gratissimum universis coelitibus fuit. Et quamquam dii prope universi conjugem illam expetiissent, rejectis tamen ceteris omnibus, deorum deformissimum Vulcanum sponsum elegit.

b. Plena est fabulosa antiquitas factis, quae Venus aut perpetrasse, aut inspirasse, aut participasse saltem narratur. Notatu digniora sunt pauca haec:

1) Quum *Eris* pomum aureum discordiae inter deas projecisset, arbiter pulchritudinis Paris, Priami filius, a Jove datus fuit. Verum eo judice Venus praelata est Junoni et Palladi: quae propterea deinceps semper Paridi et Trojano populo infestae erant, quum interim victrix Venus judicem Paridem Helenae conjugio remunerata esset.

2) *Adonidem* juvenem, quem impense diligebat, venationi aliquando ferventius vacantem, Mars in ferum aprum mutatus occidit. Venus de clientis sui periculo edocta, auxilio quidem properaverat, sed ubi occisum vidit, saltem in florem Anemonem mutavit. In ea auxilii properatione quum pedem spina sauciasset, ex Veneris divino sanguine rosae olim albae posthac rubeo colore imbutae sunt.

c. Forma juvenis amoenaeque deae pingitur, vestitu facili, levi, capite corona ex rosis albis rubrisque plexa redimito, aliquando etiam magnam corporis partem nuda conchae insistens, aut ex mari adscendens, ut Apelles eam pinxisse perhibetur. Alias currui eburneo insidet, conchae in morem facto, a columbis aut etiam cygnis tracto, filium Cupidinem aut lateri suo adsistentem, aut sinui insidentem habet. Gratias autem seu Charites pone stantes, sequentes, vel gyrum concludentes.

1. *Annot*. Filii Veneris gemini numerantur *Cupidines*, quorum alteri nomen *Eros*, alteri *Anteros*; ut significaretur, amorem nisi mutuum, subsistere diu non posse. Cupidines porro isti puerili figura, nudi, alati, oculis velatis, arcu, sagittis, pharetris, et lampadibus ardentibus manus instructi pinguntur, quibus omnibus amoris effectus symbolice exhibentur. Fere enim puerorum amantes sunt similes, caeci, ardentes, fraudis expertes quidem, sed tamen leves, doloribus diversimode obnoxii, cet. Ovidius duorum generum sagittas Cupidini tribuit: amicitiae et aversionis L. I. Metam. v. 468—471.

2. *Gratiae* tres, *Charites* aliter dictae, *Aglaja*, *Thalia* et *Euphrosyne* erant. Pinguntur hae itidem nudae, plerumque manibus junctis in circulum subsultantes; junctis manibus amoris concordiam; nuditate autem amicitiae sinceritatem, quam fuco omni carere decet, indicare volentes.

3. Templa deae istius honoribus in Graecia dicata erant praecipua in insulis *Cypro* et *Cythera*; in urbibus *Papho*, *Gnido* et *Sicyone*, postremo *Corinthi*.

Venus Graecis dicitur *Aphrodite* ab *ἀφρος spuma*, nec non *Anadyomene* ab *ἀναδυμι emergo*. Varia adhuc alia nomina sortita est.

Dionea a matre Dione.

Verticordia. Corda enim hominum in deae istius potestate esse, creditum est gentilibus.

Amica, quod amicitiae vinculum nectere putaretur.

Paphia, *Cypria*, *Gnidia*, *Cytherea*, *Idalia*, *Erycina*, a locis cultus sui, nimirum insulis *Cypro*, *Cythera*, urbe *Papho*, montibus *Ida* et *Eryce*.

§. II.

De Diis Selectis.

a. Dii *selecti* apud Romanos illi vocabantur, qui dignitate cultusque frequentia et celebritate *consentibus* proximi habebantur.

b. Ad classem istam dii deaeque universe octo referebantur, nimirum: *Janus*, *Saturnus*, *Rhea*, *Genius*, *Pluto*, *Bacchus*, *Sol* et *Luna*.

c. Deorum equidem istorum aliquos omnino eosdem esse cum nonnullis illorum, quos hucusque jam enumeravimus, liquido videbimus; sed tamen et hos quoque tum ordinis statuti causa, tum ideo etiam attingere juvabit, ut adolescentes nostri divinitatum istarum quoque ignari non sint.

I. JANUS anni, triviorum et januarum, praecipue autem pacis deus apud latinos tantum fuit, Graecis penitus incognitus.

a. *Coeli* et *Hecates* filium ferunt, qui ex Thessalia populos quosdam in Italiam traduxit, et sapientissime rexit, unde ipsi cognomen *Patris* adhaesit.

b. Factorum illius haec commendatione longe dignissima ad nos pervenerunt:

1) Primus homines deorum cultum et sacrorum ritus docuit; unde primus in omnibus sacris invocatus fuit, ut per eum, quemadmodum Ovidius observat, quasi janitorem ad reliquos deos aditus fieret.

2) Artes scientiasque eximie promovit, et quoniam concordiae pacisque cum finitimis conservandae erat studiosissimus, hinc *pacis* deus habitus cultusque fuit.

3) Saturno ex regno a filio Jove dejecto non tantum perfugium in terris suis, sed etiam societatem regni concessit; cum quo deinceps conjuncta opera populos sibi subjectos felices reddidit.

c. Pingitur forma viri gravis, togam romani civis indutus, bifrons, clavem et virgam manibus tenens, quibus vel unio duorum populorum, Romani et Sabini, et societas imperii inter Romulum et Tatium denotatur; hac nempe forma primum Romae in eo templo adparuit, quod Romulus deo huic post pacem cum Sabinis conclusam suscitavit; vel certe symbolum prudentiae humanae in eo proponitur, quae non ad futura solum, sed ad praeterita etiam animum advertere praecipit.

1. *Annot.* Fuerunt, qui solem Jani nomine intelligerent, atque hinc anni deum nuncuparent, quem una cum *Horis* coeli foribus praeesse finxerunt, et inde postea foribus etiam in terris praefeceruht. Ita quoque *januarum* pariter et *Januarii* mensis, qui annum aperit, nomina a Jano deducta adfirmant.

2. Quoniam praecipuum tamen Jani munus erat, paci faciendae tuendaeque praeesse, hinc templum ejus Romae pace undique restituta concludebatur, belli autem tempore perpetuo patebat.

Cognomina Jani sunt;

Matutinus Pater apud Horatium vocatur: Jani enim nomine sol non raro veniebat.

Biceps aut *Bifrons* a forma, qua pictus exprimebatur. Quum autem *quadrifrons* exhibebatur, quatuor anni tempora designabat.

Claviger, quia clavem tenens pingebatur.

Patulejus, quia illius templum bello indicto patebat.

Clusius quod idem templum pace facta mox claudebatur.

II. SATURNUS, temporis deus, et aetatis aureae auctor a fabulographis fingitur.

a. *Coeli* et *Terrae*, id est Vestae majoris filius fuit, qui cum fratre suo natu majore, Titane, foedus hac conditione pepigerat, ut Saturnus natu minor regnum avitum obtineret, filios tamen nullos tolleret, quo hereditas haec ad Titanis filios postliminio rediret. Sed quum dolo matris Rheae nihilominus Jupiter, Neptunus, Pluto conservati fuissent, hinc bellum semel iterumque exarsit, in quorum postremo Saturnus throno dejectus est, et exsulatum in Italiam abivit, ubi tranquillus latuit. A latitatione hac Saturni regioni nomen *Latii* accessit.

b) Hoc factorum Saturni et per omnem vitam, et praesertim exsilii tempore praeclarissimum fuit, quod homines plurimis beneficiis adfecerit, praesertim agrestes ad cultum humaniorem traduxerit, et ad culturam terrae erudiverit; adsumtus autem deinde in regni societatem a Jano, tranquillitatem, libertatem, abundantiam, felicita-

temque undique sic propagavit, ut tempora regni illius *aureae aetatis* nomen meruerint.

c. Pingitur forma senis decrepiti, calvo potissimum capite, promissa barba, pallido vultu, caperata fronte, manu una falcem tenens, serpentem altera in orbem sic convolutum, ut caudam suam remordeat.

Annot. Festa dei hujus, *Saturnalia* dicta, mense Decembri tanta solennitate et tam communi laetitia agebantur, ut omnis urbs feriaretur, et ad refricandam aureae aetatis memoriam domini servis passim in conviviis publicis et immiscerentur et ministrarent.

Dicitur Saturnus *Chronus* χρονος, quod temporum auctor putaretur.

Sterculius, quod homines artem agros stercorandi primus docuerit, cet.

III. RHEA, alio satis pervulgato item nomine *Opis* dicta, telluris habitatae peculiari titulo dea et praeses est.

a. *Coeli* et *Terrae* filia, Saturni autem uxor et soror fuit.

b. Pingitur coronam turritam in capite, et clavem manibus gerens, ut Cybele.

Graecis dicitur *Gaia*; porro etiam

Magna mater adpellata est, quia tellus tamquam mater omnia animantia nutrit.

Mater deorum, quia Saturni uxor fuit, ex quo fere omnes dii descendunt.

IV. GENIUS deus tutelaris erat et protector non tantum singulorum hominum, sed urbium etiam et quorumvis locorum.

a. Alii *Jovis*, alii deorum generatim filium faciunt, hominum vero patrem.

b. Genium suum cuivis homini statim a nativitate adesse credebant veteres, cujus munus esset: hominem istum vel locum adsidue tueri, eique praesidere, ad bona perpetranda creditos sibi clientes ducere, ad mala autem defugienda incitare. Imo duplices plerique genios sin-

gulis destinatos putabant; alterum bonum, malum alterum, quorum amborum officia facile ex significatu nominis discernuntur. Postremi generis genios *Deos Manes*, in sepulcris mortuorum commorantes, vocabant.

c. Pingitur saepe forma serpentis; aliquando senili, potissimum juvenili specie, veste stellis distincta, corolla ex floribus et platani foliis redimitus, cornu copiae manibus gerens.

Annot. Sacra deo huic natali praesertim cujusque die fiebant floribus, vino, unguentis et thure; sanguine enim deum vitae placare incongruum visum.

d. Universe genius *naturae deus* credebatur, quia omnium rerum gignendarum vim habebat, nomine illius ab antiquo verbo *geno* (quod idem significat ac gigno) descendente.

Daemon Graecis bonus genius dictus est, unde daemonium Socratis facile interpretaberis.

Annot. Adfines Genio *Penates* et *Lares* erant, dii ex quibuscumque vel majoribus, vel minoribus, vel heroibus, vel denique ex defunctis majoribus ad peculiarem curam familiae vel domus alicujus delecti. Penates in penitissima aedium parte seu in penetralibus colebantur; inde *Penates*. Contra *Lares* dii hereditarii erant, inde etiam *patrii* dicti. His in domibus singulis *Lararium*, hoc est, aedicula sacra constituta erat, in qua icunculae canina pelle vestitae, et canem juxta se habentes collocabantur. Ante has imagines sertis et floribus exornatas ignis constanter alebatur, offerebanturque Diis Laribus primitiae frugum et porci. Hinc Penates et Lares saepe pro aedibus usurpari videas.

V. PLUTO inferorum deus est, et noctis omniumque inferarum umbrarum, ac subterranearum divinitatum summus praeses.

a. Patre *Saturno*, matre *Rhea* seu Ope natus; eodem matris dolo, quo fratres reliqui, conservatus est, atque tertius Jovis ac Neptuni frater ex haereditate paterna imperium omne subterraneum sorte accepit.

b. Memorabile factorum illius nullum, nisi malefactum, quod Proserpinam, Cereris filiam flores cum sodalibus ad

pedem montis Aetnae in Sicilia legentem, repente ex terra in lucem quadriga infernali sua erumpens rapuit, uxoremque sibi desponsavit. Quam tamen violentiam hinc exstitisse ferunt, quod a deabus omnibus, quas in conjugium depoposcerat, turpitudinis causa repudiatus fuerit. Quo pacto autem matri Cereri de raptu isto apud Jovem impensius querenti satisfactum fuerit, supra de Cerere narratum est.

Numina subterranea, aliaque memoratu digna in regno inferorum sunt sequentia:

1) *Proserpina*, conjux Plutonis, inferorum regina, filia Cereris. Huic deae in mortuos omnes imperium adscribunt, et illam nonnunquam cum *Hecate*, *Trivia*, *Luna* permiscent, atque ita veneficiis praeficiunt: rati nimirum Proserpinam ceu lunam in herbas, quibus veneficia exercebantur, vim magicam despumare.

2) *Minos*, *Aeacus*, *Rhadamanthus* judices apud inferos ut incorruptissimi, ita inexorabiles sunt, qui in universos advenas, ponderatis vitae meritis, praemia poenasve decernunt, et condemnatos vel ad elysium, vel ad tartarum ablegant. Ante hos judices statuta est fatalis illa urna, qua omnium viventium nomina continentur, et quae perpetuo versata eorum nomina emittit, qui Parcae necandi, et postea judicandi destinantur.

3) *Furiae*, apud superos *Dirae*, sorores tres, vindictae poenarumque in sontes decretarum exsequutrices, et generatim malorum ultrices deae sunt, a Graecis *Eumenides* vel *Erynnies* adpellatae. Forma sunt terribili, vestitu atro, capilli earum angues sunt, et anguibus cincta vestis est. Manibus faces ardentes agitant, et saepius flagella intentant ex anguibus meris plexa et contorta. Nomina singularum sunt: *Alecto*, *Megaera*, *Tisiphone*.

4) *Parcae*, fatorum humanorum deae, itidem in hac tenebrarum regione commorantur. Sorores item tres sunt: *Clotho*, *Lachesis* et *Atropos*, quarum primam in nativitate cujusvis hominis lanam aut linum colo adligare fabulantur: alteram deinceps per omnem hominis istius vitae cursum

fusum ex hoc loco deducere, tertiam autem hoc filum deductum tum incidere, quum homini moriendum est.

5) *Fluviis* quinque omne hoc inferorum regnum (quod aliis nominibus etiam *Avernus* vel *Tartarus*, vel *Orcus* adpellatur) circumdatum aut memorabile est. Sunt autem fluvii isti: a) *Acheron*, b) *Styx*, per quem dii omnes inviolabile jusjurandum pronuntiabant, carituri secus nectare et ambrosia anno uno et diebus novem. c) *Cocytus*, fluctus fluvii hujus gemitum et ejulatum referebant. d) *Phlegethon* fluctus, sulphure piceque ardentes, aquarum loco volvebat. e) *Lethe*, ex quo seu tartarum inituris, seu in lucem mundi superioris reversuris bibendum erat, ut anteactorum omnium obliviscerentur.

6) *Charon* senex squalidus et tristis, vultu torvo tetrico, lacinias vestimentorum ex humero suspensas portans et cymbae rimosae ac cariosae conto armatus insistens, nauta infernalis est, qui defunctorum umbras cymba sua transvehit, singulas oboli unius mercede, quae merces nomine proprio *naulum* vocatur. Quare veteres admodum sollicite sub linguas defunctorum obolum condebant, ut ne, naulo carentes, à Charonte rejicerentur. Non sepultorum enim corporum animis centum annis ad ripam fluminis Acherontis exspectandum vagandumque erat.

7) *Cerberus*, canis horrificus tribus capitibus, et tergo anguibus sibilantibus horrido instructus, caudae loco ingentem draconem habens, janitor et custos inferni est, catenis mille ad ostium inferni devinctus, qui introitum quidem universis, reditum autem mortalium nemini permittit, tam immaniter furens, et tremendo latratu concutiens omnia, ut vel ipsae Furiae accedere vereantur.

8) *Damnati celebriores* ad inferorum supplicia notandi sunt sequentes:

Gigantes, rebelles in superos a Jove victi, ad tartara detrusi sunt: *Enceladus* praesertim injecta Sicilia, et *Briareus* centimanum imposita Aetna, oppressi.

Tityus item gigas violentiam Latonae intentans in infernum, a Jove fulmine praecipitatus est, ubi novem jugerum spatium explet, vulture jecur illius, identidem renascens perpetuo exedente.

Phlegyas, Lapitharum quondam rex, quum Apollinis templum delphicum succendere ausus sit, a deo hoc telis confixus apud inferos sub ingenti saxo sedet, ruinam perpetuo minitante, aeterno inde metu discruciatus.

Ixion, cujus delictum et poenam supra in Junonis factis narravimus.

Sisyphus, insignis latro, qui, quoscumque vi in potestatem suam redegit homines, immani saxi pondere iis superposito necabat. In poenam malefacti ingens saxum in verticem montis maximo et aeterno conatu provolvit, quoniam ad cacumen usque promotum continuo relabitur.

Salmoneus, quum superbia adversus ipsum Jovem elatus in ponte aeneo, quem in hunc finem fieri curaverat, circumvectus, et taedas ardentes inter homines projiciens, tonitrua et fulmina Jovis imitari voluerit, fulmine ad tartarum praeceps dejectus est.

Danaides, etiam *Belides* vocatae, filiae 50 Danai sunt, quarum 49, excepta videlicet Hypermnestra, ex patris jussu nocte nuptiarum sponsos suos trucidarunt et propterea ad hauriendam cribro aquam perpetuo condemnatae sunt.

Tantalus, sceleratus rex Achivorum, qui, ad periclitandam deorum apud se convivarum omniscientiam, filium suum Pelopem coctum illis adposuerat, sed et perjuriis infamis erat, in fluvium infernalem Erydanum a Jove dejectus est, ubi crudelissime fame sitique cruciatur, licet poma et aqua palato jugiter adnatent, quae ipsa tamen continuo fugiunt, simul atque comprehendere unum alterumve adgreditur.

c. Forma turpi et horrifica pingitur *Pluto*, vultu torvo, in tenebricosa specu super throno sulphureo considens, manu sceptrum, capite coronam ex ebeno gestans. Sce-

ptri loco aliquando bifurcam tenet, manibusque clavem insertam, pedibus throni adfusum Cerberum habet. Lateri ejus in throno adsidet *Proserpina* ornatu regio, sed pullo tristique insignis.

Graecis dicitur *Ais*, *Aides*, *Aidoneus*; Proserpina *Persephone*; Parcae *Moirai.*

Cognomina *Plutoni* diversa obtigerunt, ut:

Zeus stygius, id est Jupiter inferus seu stygius, per fluvium *Stygem* designato toto monarchae hujus imperio.

Summanus, quasi dicas *summus Manium.*

Dis quasi *dives*, quod deus divitiarum sub terra conditarum existimaretur, ex quo nonnunquam *Plutum* adpellaverunt, tanquam divinitatem diversam, quum omnino ipse idemque rerum subterranearum omnium moderator sit.

Orcus ab urgendo dictus, quasi *Urgum* voces, quod omnes ad mortem urgeat. Etsi orcus nonnunquam pro loco incolatus illius sumatur.

Februus a purgando, id enim vox antiqua *februare* significat. Hinc sacer deo isti mensis Februarius.

Quietalis, quod viventes post mortem quiete donet.

Proserpina quoque aliis nonnunquam nominibus compellata fuit, cujusmodi sunt:

Juno profunda, aut *infera.*

Domina, *Despoina*, intellige, mortuorum.

Libera, Baccho enim socia aliquando jungitur.

VI. **BACCHUS** vini, et omnis seu ordinatae, seu inordinatae laetitiae ex usu vini profectae inventor ac deus est.

a. *Jovis* et *Semeles* Thebanae est filius; Thebanus inde dictus. Mater pro feminea curiositate Jovem in majestate sua videre cupiens, et voti compos facta, terrore fulguris splendorisque repente exanimata est, filio immaturo relicto. Itaque pater Jupiter eum femori suo insuit;

at succrescentibus paullatim puero cornibus, petulcientem ferre prae dolore non valens, maturum jam factum in lucem emisit, atque a *Brise* Numpha educandum, a *Sileno* autem in literis et bonis artibus instituendum curavit.

b. Facta Bacchi ad vini culturam inventam et propagatam revocantur.

1) Quum ingenio et eruditione valeret, rationem vini colendi principio invenit, et tum artis hujus beneficium, tum pacem, concordiam, vitae commoda, et laetitiam per omnem Asiam propagavit.

2) Itaque in victorias et triumphos continuos ad Indias usque vagatus est, comitante eum undique, copiarum loco, mulierum ebriarum et petulantium choro, quae *Bacchae* aut *Maenades* dictae sunt, corolla pampinea, et pellibus ferarum indutae, thyrsis hedera circumvolutis armatae, furibundae ac vociferantes: *Evoë Bacche!*

3) *Pentheum*, cultui divinitatis suae festisque immodestis obnitentem, Bacchus in leonem primum convertit, tum a Maenadibus vivum lacerari fecit.

4) *Lycurgum* regem Thraciae, qui vites eradicare volebat, ne deinceps Baccho sacrificaretur, in furias egit, ut is sibi ipse tibias succideret, ratus se vitem resecare.

5) Regi *Midae*, qui in itinere Silenum praeceptorem a coetu exerrantem, ac diu in Phrygia vagatum reduxerat, muneris loco voti faciendi et implendi potestatem obtulit. Qua quum stolidus rex turpiter abusus esset, optans ac impetrans, ut quidquid contingeret, aurum fieret, ad preces poenitentis postremo flexus in *Pactolo* fluvio manus eum lavare jussit, quo voti stulti efficaciam ab eo abstulit, auri vero divitem fluvium reddidit.

6) In *Naxum* insulam trajectum quum *piratae Tyrrheni* in Asiam traducere meditarentur; dolum subodoratus, malum navis in draconem convertit, piratas vero, in mare praecipites actos, *delphinos* fecit.

c. Forma, qua Bacchum veteres pingebant, tota qu ta aliena est ab ea, qua pictores posteriorum seculor illum exhibuerunt; qui quum Bacchum obesum, ping dine turgidum, temulentumque repraesentarunt, exe plaria formae suae, a qua nescio cauponula, mutuasse dentur. Sane veteres Bacchum ceu juvenem, formosu que virum pinxerant, qui in capite coronam ex pam nis sceptri loco manu thyrsum gestat, id est, lance palmitibus circumvolutam. Caput praeterea cornua p va duo obsident, et ex tergo pellis pantherae deflu manuum altera saepe cornu item ostentat, quod ap veteres bibendi erat instrumentum. Nonnunquam triumpho suo proponitur sublimis vectus curru aure tracto a tigribus, lyncibus, leonibus, aut pantheris: leno tamen, equite bene ebrio, pompam ducente asello, Maenadibus vero, Faunis et Satyris currum a bientibus, qui poculis thyrsisque universi armati su Alias etiam humeris Panis insidet, aut in amplexu Si ni sui quiescit, manu una uvam, altera poculum fere

Annot. **Bacchanalia,** aliter etiam *Dionysia* et *Orgya* dicta, sa erant Romae honoribus Bacchi dicata, omni genere licen et furoris infamia, ut ea A. U. C. 567. ex SCto, vel a g tili magistratu abrogari necesse visum sit.

Cognomina autem notissima sunt:

Graecis dicitur *Lyaios* seu *Lyaeus*, i. e. Liber, q curis liberat; *Dionysos*, nec non *Dithyrambos.*

Liber Pater, quia vinum curis animum exonerat.

Evan et *Iachus* a vociferando et tumultuando, u etiam Bacchae *Evantes* nuncupantur.

Lenaeus, aut *Torcularis*, ab inventis vini torcu ribus.

VII. SOL, Graecis *Helios* dictus, idem omnino qui Apollo, ac propterea multa, quae supra de Apoll adtulimus, ad solem huc referri possunt ac debent;

theologia tamen gentili Apollo et Sol distinguitur; dicitur enim posterior hic filius *Hyperionis* et *Thiae*, nepos Saturni ex fratre; quin ipse quoque Sol Hyperion aliquando vocatur.

AURORA, Graecis *Eos* dicta, Solis hujus et Thetyos filia credita fuit, digitis roseis, manibus nectar exstillantibus, veste crocea, candidis et alatis equis duobus vecta; fronti illius stella matutina adfixa est, manuum alteri fax ardens inserta.

VIII. LUNA, Graecis *Selene* dicta, eadem est cum Diana, imo cum Proserpina etiam: et secundum graecos mythologos Titanis *Hyperionis* filia est, Solisque soror. Superstitio veterum credebat, eam, quum deficit, incantationibus magicis adfligi: ideoque pelvibus aeneis alisque instrumentis strepitum excitabant, ut incantationes hujusmodi, quum non audirentur, frustrarentur. Hanc superstitionem apud varias Orientis gentes vel hodie adhuc vigere recentiorum testantur itineraria. Duobus dumtaxat equis currus Lunae trahitur, et sub nomine *Noctilucae* Romae colebatur.

§. II.

De Diis Indigetibus.

Dii *Indigetes* (aliter *adscriptitii* dicti) ii vocabantur, qui propter merita et virtutem in deos sunt relati, et *Heroës* alias etiam adpellati fuerunt. Celebriores tantum aliquos horum adferemus.

I. QUIRINUS, Romulus, urbis Romae conditor et fundator est. Quemadmodum a *Curibus*, Sabinorum oppido, post unionem regnorum Romani *Quirites* dicti sunt; ita Romulus *Quirini* nomen accepit, postquam inter deos relatus est. Narrant, eum, quum asperius regnaret, concionem ad populum habentem a senatoribus suis eo puncto temporis discerptum fuisse, quo tempestas valida subito coorta omnem caedis factae cognitionem trepi-

danti et confuso populo abstulit. Sed ut suspicionem quoque caedis et invidiam a se amolirentur, *Proculum* quendam subornarunt, qui juraret, se Romulum in coelum euntem vidisse; eumque jussisse, ut divini a Romanis honores sibi impenderentur. Itaque templum Quirini exstructum, et sacerdos eidem adsignatus, *Flamen Quirinalis* adpellatus est.

II. HERCULES totius antiquitatis heros fortissimus, et varietate atque eminentia factorum celeberrimus fuit.

a. Jovis et *Alcmenae* Thebanae filius, ab incunabulis statim fortitudine sua inclaruit. Quum enim Juno matris causa filium exosa esset, serpentes validos duos ad opprimendum puerum immisit, quos intrepide adprehensos heros iste in cunis ambos suffocavit. Adolescentem de stabili vitae genere deliberantem, quum voluptas et fortitudo obviae in sui sequelam adlicerent: Hercules, repudiata voluptate, fortitudini ducendum se tradidit. Aerumnis et laboribus plurimis, praesertim ex Eurysthei inimicitia, exantlatis, postremo per vestem, quam ei uxor *Deianira*, *Nessi* Centauri sanguine infectam, imprudens miserat, in rabiem actus, in monte *Oeta* pyram construxit, conscendit, atque se ipse cremavit, et ad coelos evolavit.

b. Factorum Herculis alia ad *Eurystheum* regem Mycenarum ejusque jussa referuntur, quibus fatali nativitatis ordine, et divinitatis obtinendae conditione subjectu erat: alia autem ad ceteram ejus vitae rationem pertiner

1) Primi quidem generis duodecim facta numerantu passim *aerumnae* seu *labores Herculis* adpellati, qu ex mandato Eurysthei obivit, suntque sequentes:

a. *Leonem* immanem invulnerabilem, ex Luna de psum, et in *Nemea silva* omnia devastantem, la ravit, exuviis illius in tegumentum adsumtis.

b. *Serpentem* ad lacum *Lernam* capitibus duodec ita terribilem, ut uno abscecto continuo aliud in loc abscecti pullularet, occidit, capitibus omnibus abs sis et exustis, ne succrescerent.

c. *Aprum* immanem ex monte *Erymantho* regi Eurystheo vivum adduxit.

d. Cervum aeneis pedibus et aureis cornibus insignem, tantaque velocitate praeditum, ut cursu aequari a nemine posset, aliunde vero a vulnere quocumque immunem, anno toto fugientem frustra insequutus, cepit tandem, et vivum in humeris Mycenas deportavit.

e. Aves turpissimas simul et rapacissimas ad lacum *Stymphalum*, quae carnibus humanis vescebantur, partim occidit, partim abegit.

f. *Amazones* devicit, et reginae earum *Hippolytae* pretiosissimum cingulum spolium abstulit.

g. Stabulum regis *Augiae*, in quo 3000 boves alebantur, et quod triginta annorum spatio non repurgatum fuerat, fluvio *Alpheo* immisso intra biduum mundavit.

h Infestissimum ferocissimumque *bovem in Creta* insula cepit ligavitque, atque ad Eurystheum attulit.

i. *Diomedem* Thracem, equos suos humanis hospitum suorum carnibus alentem, occidit, et equos Eurystheo adduxit.

k. *Geryoni*, regi Gaditano, tricorpori, non tantum boves suos rarissimos, (quippe punicei coloris) pastore gigante, et cane bicipiti ac dracone custodibus interfectis abstulit; sed ipsummet etiam dominum, quamvis auxilio Junonis suffultum occidit, eaque occasione Junonem in pectore vulneravit.

l. *Draconem ignivomum*, ad custodiam malorum aureorum in hortis *Hesperidum* excubantem interemit, malaque aurea Eurystheo reportavit.

m. *Cerberum*, tricipitem canem, janitorem infernalem, utut reluctantem, in lucem eduxit, expletoque Eurysthei jussu, eodem reduxit.

2) Alterius generis facta Herculis magis memorabilia sequentia recensentur.

a. *Atlantem*, orbem terrarum humeris gestantem, aliquanto tempore succollavit.

b. *Cacum* famosum et crudelem latronem, vias Ital infestantem, occidit.

c. *Antaeum* gigantem, terrae filium, secum luctant et ex terra, quoties eo dejectus erat, novis semper v bus auctum, tandem in aërem sublatum compressit.

d. Ab *Omphale* tamen Lydiae regina fortissimus hic ros adeo edomitus est, ut ejus amore vestes mulieb sumeret, ad nendum, acu pingendum, stamina duc da, ceterosque gynaeceorum labores ultro se demitte

e. *Nessum* Centaurum transportato primum Herc per fluvium *Evenum*, nunc in altera fluminis ripa mor Herculis uxori *Deianirae* petulanter insultantem, (mon nihil proficientibus) sagitta emissa medium transfixit: cujus morientis consilio Deianira vestem Herculis C tauri sanguine tinxit, et Herculi philtri loco ad con andam sibi amoris conjugalis constantiam infelici ev tu obtulit.

f. In expeditione Africana et Hispanica columnas nas, tamquam metam laborum itinerumque suorum, litoribus maris aedificavit, alteram quidem in Africa *A len*, alteram autem in Europa *Calpen* dictam; unde dieque fretum Gaditanum *fretum Herculeum* vocatu

g. Pingitur viri robusti, lacertosi, et prope nudi for capite et tergo pelle leonis Nemeaei intecto, clavam nu tenens illique innixus.

h. Nomine alio Hercules, Graecis *Heracles*, adp tus fuit:

Alcides ab avo Alcaeo.

Musagetes, dux aut comes musarum: vel quod t pla musarum multis in locis templo Herculis adju essent: vel quod fortitudo pacem et tranquillitatem ris praestare debeat.

Medius fidius, vel Me *Dius fidius*, quasi filium J nomines.

Gaditanus, a Gadibus, ad quas Geryonis debell causa penetraverat.

III. CASTOR et POLLUX.

a. Fratres uterini ex eadem matre *Leda* Spartana, sed diversis patribus prognati; Pollux *Jove* deo, Castor autem *Tyndaro* homine.

b. Quum ex hoc ortu Castor, hominum filius, morti esset obnoxius, Pollux autem ob divinam ex patre originem immortalis; Pollux Jovem patrem tamdiu deprecatus est, dum impetrasset, ut immortalitatem suam cum fratre carissimo Castore sic partiri liceret, ut alternis vicibus apud inferos superosque agerent.

Annot. Phosphorus nimirum sunt et Hesperus, quorum altero occidente alter oritur.

c. Pinguntur forma juvenum duorum, albis equis insidentium, qui stellas splendentes super pileis suis laconicis exhibent.

d. *Tyndaridae* alio nomine vocabantur: quamquam unus eorum tantum Tyndari filius esset; dicuntur etiam Graecis *Dioscuroi*, i. e. Jovis filii, quamquam solus Pollux Jovis, Castor vero Tyndari filius fuerit.

Lucida sidera et fratres Helenae ex historia ortus nota sunt cognomina.

Soteres praesertim a nautis periclitantibus adpellati sunt.

IV. PERSEUS.

a. *Jovis* et *Danaës* filius; a Minerva scuto, in formam speculi polito, a Mercurio alis, a Vulcano autem ense instructus fuit.

b. Facta ejus, quae memorari merentur, sunt:

1) *Medusam Gorgonem*, monstrum horrificum, quod solo adspectu intuentes in saxa et lapides convertebat, objecto scuto ab ejus adspectu se tuitus, capite mulctavit, recisumque caput scuto suo infixit.

2) Quum ex resecto Gorgonis Medusae capite cruor in terram defluxisset, repente ex eo *Pegasus* equus alatus exstitit, quo inscenso

3) Dum in patriam revertitur, *Andromedam*, *Cephei* regis Aethiopum filiam, a Nereidibus ad vindicandam

matris superbiam crudeliter marmis cautibus adligatam, et Ceto monstro marino devorandam expositam feliciter liberat, opposito scuto et monstro trucidato.

4) Scuto hoc eodem deinceps Atlantem hospitalitatis jura negantem, in montem transformavit.

c. Pingitur forma juvenis armati equo alato insidentis, scuto suo protecti, et ensem destrictum vibrantis.

d. Nomen praeter consuetum notum est nullum, nisi forte patronymicis quibusdam aliquando a Poëtis exprimatur.

V. IASON,

a. Natus est *Aesone* patre, *Alcimede* matre, Thessaliae regibus, aut saltem regis Thessaliae Peliae fratre.

b. Praecipuum Iasonis facinus est:

1) Profectio Argonautarum, cujus dux auctorque exstitit. Sive enim gloriae cupiditate incensus Iason, ut vellus aureum tota Graecia celebratissimum referret, sive a patruo Pelia ad expeditionem hanc suscipiendam instigatus, quod a dracone velleris custode interiturum sperabat nepotem, navi Argo aedificata instructaque, socios expeditionis fortissimos quosque Graeciae heroës congregavit, inque iis: *Herculem*, *Castorem*, *Pollucem*, *Telamonem*, *Pirithoum*, *Peleum*, cet. atque cum iis in Colchidem navigavit. Ibi in Medeae filiae regiae, artium magicarum, ut fabulantur, peritissimae, amicitiam se insinuavit, a qua edoctus potum soporiferum draconi semper vigili obtulit, dormientem obtruncavit, vellus aureum rapuit, et Medea comite reditum in patriam suscepit.

2) Medea, ut patrem Aeëtam a persequendo fugitivo secum Iasone, jam conjuge suo, abstineret, fratrem suum natu minorem Absyrtum, membratim dissecuit, sparsisque per iter filii membris, patrem morata est.

3) In Thessalia venefica haec Medea socerum suum Aesonem, variis herbis incoctum, juventuti restituit, patruum autem Iasonis, Peliam, sciscitantibus et idem beneficium pro eo postulantibus stolidis illius filiabus, necari jussit, neque ad vitam unquam necatum revocavit.

4) Quum ob crudelitatem tantam Iason repudiat Medeam, novamque conjugem inducit Creusam, Creontis regis Corinthiorum filiam; perfidiam mulier impotens vindicatura, filios duos Iasonis in conspectu patris suffocat, sponsae vero novae munus nuptiale cistellam cum monilibus offert, quam quum curiositate ducta Creusa celeriter aperit, flammae erumpentes totam regiam puncto temporis incendunt, sponsa totaque familia regia conflagrantibus, aegre effugiente Iasone. Medea currum draconibus junctum conscendit, et triumphans Athenas avolat.

c. Pingitur Iason herois armati forma, eminus nave Argo adparente.

d. Iason e patris nomine *Aesonides* vocatur a poëtis.

VI. THESEUS.

a. Atheniensis, regis *Aegaei* et *Aethrae* filius fuit.

b. Ex factis Thesei memorabiliora sunt:

1) Quum sorte destinatus fuisset in numerum eorum septem adolescentum, quos victi Athenienses quotannis Cretam ex pacis legibus mittere debebant, ab infami monstro *Minotauro*, quod *Labyrinthum* incolebat, devorandos, is navim nigris velis instructam conscendit et in Cretam pervenit, ubi gratiam apud *Ariadnen*, *Minois* regis filiam, inivit, quae filo tradito ante cetera, ut reditum sibi tutum certumque faceret, consuluit. Itaque ad monstrum intrepide ingressus, illud confecit, viamque Ariadneo filo duce salvus relegit.

2) Exiguam vero vitae conservatae ingratus Theseus Ariadne retulit gratiam; liberatricem enim suam, cum eo in patriam reverti volentem, in sterili insula *Naxo* inhumanissime expositam deseruit, ubi misere contabuisse fertur.

3) Revertens in patriam, quum nigra vela ex navibus suis tollere, ut inter eum et patrem, si salvus reverteretur, convenerat, oblitus fuisset: Aegaeus ea ex longinquo speculatus, filiumque interiisse ratus, in mare se praecipitem, mari autem *Aegaei* nomen dedit.

4) Pirithoum amicum in expeditione ad inferos comitatus est, quae satis infeliciter cecidit. Pirithous enim captus, Cerberoque devorandus objectus est; Theseus in vincula conjectus, ex quibus non nisi ab Hercule demum liberatus fuit.

c. Pingitur armatus totus, galeam in capite, et nonnunquam etiam exemplo Herculis clavam manu gerens.

d. Nomina nulla alia, praeter solitum Thesei, de hoc heroë innotuerunt.

VII. ORPHEUS, musica et poësi graeca ex aequo celeber, ab Horatio *interpres deorum* vocatus, tam insolenti suavitate cithara canebat, ut arbores, saxa, lapides, et ferae ad eum audiendum commoverentur. Fluvii cursum stitisse, et venti a flando conquievisse narrantur, quum canere coepisset. Quum uxor ejus *Euridice* mortem obiisset, ad inferos descendit, cantusque sui efficacia a Plutone impetravit, ut uxorem secum in vitam reducere liceret, modo ne ad illam respectaret, donec ad superas auras emersisset. Sed Orpheus praecepti immemor, quum respicit, Euridicem perpetuo amittit. !

VIII. AMPHION ab Apolline et Musis adeo dulciter lyram tractare doctus erat, ut lapides movere ac trahere nosset; qua arte postea *arcis Thebanae* moenia condidisse scribitur; lapidibus ad sonum lyrae mutuo ad se accedentibus.

IX. ARION, *Neptuni* filius ex *Oncaea* nympha, in insula *Lesbo* natus, omnium suae aetatis musicae callentissimus, tantaque virtute citharam tractare peritus, ut, quum ex Italia mari revertentem servi nautaeque interficere pararent, opibus, quas sibi arte musica maximas comparaverat, inhiantes; ille vero a sanguinolentis veniam saltem adhuc impetrasset, lessum suum cantandi: ad citharae vocisque ejus sonum Delphines repente navem cinxerunt, concentu hoc adlecti. Itaque his salutem suam quam sceleratis hominibus credere malens, in ma-

re ex nave desiliit, atque a Delphinorum maximo tergo exceptus, et incolumis in litore expositus fuit.

Annot. Ad horum deorum indigetum censum referebantur item postremis romanae reipublicae temporibus, quum adulatio et dissolutio simul invaluerunt, imperatores, imo uxores eorum, sorores, filiae, et aliquando villoris conditionis adulatores, id quod per solennes *Apotheoses* seu *Consecrationes* fiebat. Signum consecrationis in nummis imperatorum est *aquila*; in nummis Augustarum *pavo*.

§. IV.

De Diis Semonibus.

Dii Semones, quasi semihomines, erant ii, *quos nec coelo adscribere propter meriti paupertatem, nec terrenos deputare vellent pro gratiae veneratione*, ut Fulgentius inquit. Ex horum genere paucos sequentes notabimus:

I. PAN *Mercurio* patre natus, matre satis incerta. Primis temporibus *Pan* (Παν), erat deus seu symbolum universi, cultus in Arcadia. Quoniam vero Arcadum fortunae in solis gregibus constabant: posterioribus temporibus Pan habitus est deus praeses gregum et pastorum, inventor arundineae fistulae in usum eorundem pastorum. Quum Galli templum *delphicum* spoliaturi essent, terrore tanto tamque subito eos replevisse *Pan* dicitur, ut fugam susque deque caperent. Hinc *terror panicus* vocatus est, si quem subitus, improvisus, nec satis rationabilis invasisset. Proponitur figura partim hominis, partim hirci, cornibus et corona abiegna in capite, vultu ridente, labris rubeis, pedibus et cauda caprina, villis obsitus, manu una fistulam ex septem arundinibus compactam, altera pedum gestans. Cultus ejus ab *Evandro* ex Arcadia in Italiam adlatus dicitur; unde etiam *Arcadiae deus*, item *Lycaeus* et *Tegeaeus* a quibusdam Arcadiae locis adpellatus fuit. Lac et mel potissimum a pastoribus in poculis deo huic offerebatur. Romae

Pani festa publica celebrabantur, *Lupercalia*, ejusque honoribus consecrati sacerdotes *Luperci* dicti sunt.

II. FAUNUS, deus pastorum apud Latinos, fatidicus. *Fauni* cum pluribus sui similibus numinibus agrestes dii sunt, nihil forma diversi a Pane. Non ab agricolis tantum, sed a nobilibus etiam dies festi peragebantur diis istis ruri, vel in lucis, plerumque agno vel hoedo immolato; quamquam Romae in insula Tiberina aedem publicam habuit Faunus, in qua nonis Decembribus et idibus Februariis ei publice immolabatur.

III. SILVANUS deus silvarum, ruris praeses ac finium custos, a pastoribus lacte vel porco placari solitus, Hujus quoque dei forma fere eadem, nisi quod aliquantum senior pingebatur.

IV. VERTUMNUS a vertendo dictus, quia in omnes formas se vertere posse credebatur.

V. POMONA dea frugum fructuumque, Vertumno nupta dicitur, quo fortassis diversus fructuum, dum maturescunt, status designatur. Habuit Romae flaminem proprium *Pomonalem*.

VI. PALES, dea curando pabulo, tutandoque felici illius proventui, ac incolumitati pecoris praefecta. Sacra deae hujus *Palilia* sive etiam *Parilia* vocata sunt.

VII. FLORA dea florum habita fuit; finxerunt enim *Zephyro* vento nuptam, a marito potestatem in omnes flores accepisse. Celebrabantur vero festi deae huic dies initio mensis Maji, vocatique sunt *Floralia*. Pingitur forma virginis capite floribus omnis generis redimito et vestem floribus consitam induta.

VIII. TERMINUS agrorum finibus defendendis et conservandis praefectus fuit. Erat vero deus effictus forma lapidis quadrati, vel stipitis dedolati, finibus agrorum infixus. Apud Romanos jam inde ex lege Numae speciali sanctione de termino cautum erat, sacerque fuit, quisquis terminum loco movisset. Deum hunc festo

illi die coronabant, juxta eum libabant, et liba eidem offerebant, adpellabanturque festa haec *Terminalia.*

Annot. Nihil fere in vita humana et quotidiana occurrebat, cui non Romani peculiares fabricassent et coluissent deos. Itaque alii dii infantibus primum natis destinabantur, ut *Levana:* alii eorum cunis, ut: *Cunina;* alii eorum esui potuique praeerant, ut: *Potina* et *Edusa;* alii, quum fabulari inciperent, pro iis interpellabantur dii, ut: *Fabulinus:* orbati parentibus liberi in tutela deae *Orbonae* erant. Ab erroribus viarum liberabat dea *Vibilia* cet. *Laverna* furum dea. *Hippona* equorum curam gerebat, cet. Sed quis haec somnia prolixius exsequatur?

§. V.

De personis allegoricis, divinitate donatis.

a. Romani, gens deorum cultui, si qua umquam in orbe terrarum, addictissima, nihil fere insolitum, aut quotidiana cogitandi agendique ratione majus vidit, quin id continuo non solum opi et adjutorio deorum suorum, sed plane effectioni solius divinitatis alicujus adscriberent: quod nimirum in rebus hujusmodi vim aliquam humana majorem intervenire suspicabantur.

b. Fluxit hinc ingens divinitatum romanarum multitudo, ut Varro non dubitaverit adserere, triginta deorum millia a Romanis adorari. Nulla enim virtus aut actio illustris, nulla prope adfectio animi erat, imo nullum vitium et quandoque turpitudo, cui non aedem aliquam Romae dedicassent, qua hujus generis numina publicis honoribus adficerentur, invocarenturque.

c. Ex copiosissimis pauca strictim referre libet, quae juventus nostra memoria retinebit, et suo tempore haud dubio augebit.

I. MENS aedem publicam in principe urbis loco, Capitolio habebat, ubi divinis honoribus colebatur.

II. VIRTUS et HONOR aedes duas extra urbem ita positas habuerunt, ut ad aedem honoris nonnisi per aedem virtutis aditus pateret. Cujus quidem rei ratio in promtu est, facileque perspici potest.

III. PIETAS in foro olitorio colebatur in aede sibi dicata.

IV. PUDICITIA duplici in templo colebatur, altera in foro boario *Pudicitia Patricia* dicta, altera in vico longo sub titulo *Pudicitiae Plebejae.*

V. CONCORDIA quinque Romae templa habuit, quorum illud ceteris memorabilius, quod sub nomine *Concordiae Virilis* extitit.

VI. PAX magnificentissimum juxta forum romanum ab imperatore Vespasiano exstructum templum obtinuit, in quo etiam vasa sacra, ab excidio Hierosolymitano relata adservabantur.

VII. SALUS, FELICITAS, LIBERTAS in deorum romanorum numero computabantur, atque suum quaeque templum possidebat.

VIII. FORTUNA, quamquam *inconstans*, *saeva*, *caeca*, *lubrica* passim nominata et credita, deae tamen loco habita, et frequentissimo cultu honorata fuit. Effingebatur forma mulieris velo unico vestis loco circumdatae, oculis velatis, globo aut rotae pede uno insistens, clavo seu navis gubernaculo manu innixa, aut etiam cornu copiae effundens. Romae plurima illi exstructa templa reperiebantur, inter quae praecipua erant; *Fortunae Primigeniae* in Capitolio; *Fortunae Muliebris* extra urbem, et *Fortis Fortunae.* Sed *Malae* quoque *Fortunae* templum dedicatum fuisse legimus. *Antii* et *Praeneste* aedem dea haec habuit, cultumque jam olim inde a republica constituta celebrem.

IX. VOLUPTAS, PAVOR, PALLOR, AUDACIA sacris suis Romae non caruerunt, fanis etiam his divinitatibus erectis, in quibus sacra facere non erubuit Scipio.

X. FEBRIS tandem (quis credat?) tria numini suo dedicata Romae templa habuit. Sed plus quam satis jam de his.

§. VI.

De Diis peregrinis.

a. Etsi primis reipublicae romanae temporibus *sacra peregrina* Romae nullo pacto tolerata sunt; tamen prolatis sensim imperii finibus nulla fere gentium exterarum fuit superstitio, quam Romani non adsciscendam putassent.

b. Aegyptiorum Romam recepta sacra ceterorum omnium memorabiliora sunt, quod aliae divinitates earumque sacra fere sic permiscebantur propriis, ut vix peregrina jam haberentur, aut haberi liceret. Tria autem Aegyptiorum numina peculiaria et cultu et *peregrinorum deorum* nomine eminuerunt.

I. ISIS, Aegyptium numen praecipuum, *Inachi* Argivorum regis filia, quae in Aegyptum advecta homines agriculturam, multaque alia vitae humanae commoda docuisse fertur. Praecipue a mulieribus colebatur, et a nonnullis dea eadem cum Cerere judicata est; ab aliis cum Cybele deorum matre confunditur. In sacris deae hujus *sistrum* adhibebatur, genus crepitaculi, acutum sonum fere ad similitudinem spicarum vento motarum edens.

II. OSIRIS (aliter etiam *Serăpis* vocatus) Isidis frater et conjux, post saluberrimas quasque Aegyptiis latas leges, agriculturamque doctam et auctam a fratre *Typhone* interemtus est. Ajunt, ejus animam in bovem migrasse, qui *Apis* deinde dictus et deus cultus fuit. Bos iste niger erat, certisque maculis respersus, quem stato tempore sacerdotes fonte sacro submergebant, alium deinde priori similem undique conquirentes, quem si forte invenissent, maxima laetitia *Memphim* deducebant. Sub nomine *Serapidis* aegrotantibus, de valetudine consulentibus, per somnia respondere credebatur. Statuarum illius capitibus modius frumentarius adponitur.

III. ANUBIS comes et minister Isidis dicitur, qui illi tum in quaerendo Osiride, tum in perfido Typhone puniendo fidelem operam praestitit. Fere cum Graecorum *Herme* et Romanorum *Mercurio* convenit, pingiturque vel canina forma, aut saltem canino capite ob sagacitatem fidelitatemque exhibitam.



INDEX.

PARS II.

De Scriptionum generibus.

Gedruckt bey Georg Überreuter und Sohn.



